



John Carter Brown.

BOUND BY F. BEDFORD



BREVIS NARRATIO

EORVM QVÆ IN FLORIDA AMERICÆ PROVĨCIA Gallis acciderunt, ſecunda in illam Nauigatione, duce Renato de Laudõniere claſſis Præfecto:

Anno M D LXIIII.

QVAE EST SECVNDA PARS AMERICAE.

Additæ figuræ & Incolarum eicones ibidem ad viuũ expreſſæ: breuis item Declaratio Religionis, rituum, viuendique ratione ipſorum.

Auctore

Iacobo le Moyne, cui cognomen de Morgues, Laudõnierum in ea Nauigatione ſequuto.

Nunc primùm Gallico ſermone à Theodoro de Bry Leodienſe in lucem edita: latio verò donata a C.C.A.


Cum gratia & priuil. Caſ. Maieſt. ad quadriennium.

FRANCOFORTI AD MOENVM
Typis Ioãnis Wecheli, Sumtibus vero Theodori de Bry ANNO M D XCI.
Venales reperiũtur in officina Sigiſmundi Feirabẽdii

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

D~N~. CHRISTIANO, DVCI SAXONIÆ,

LANDGRAVIO THVRINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, BVRGgravio Magdeburgenſi, Sac. Rom. Imperii Archimarſchalco & Electori, &c. Domino ſuo Clementiſſimo.



M*VLTIS placuit Ill*^{me} *Princeps ac Domine Clementiſsime,* Virginiæ *hiſtoria, quam Jll*^{ma} *V.C. nomini dicavi. Nunc in lucem emitto* Floridæ *hiſtoriam, perbreuem quidem illam, ſed quæ multa ſcitu digna contineat paucis adhuc cognita: & cum pluribus elegantioribusq; iconibus & picturis ſit exornata quam ſuperior,*

addita etiam Chorographia diligentiſsime expreſſa, quæ magnam venuſtatem illi conciliat (ſcio enim nullam illius regionis deſcriptionem hactenus fuiſſe publicatam quæ huic comparari poſsit) magis adhuc placituram ſpero. Nam illa breviter explicat quid Gallis duce Laudonniero in eam Provinciam profectis acciderit anno MDLXV. & quam crudeliter contra iuſiurandum & datam fidem ab Hiſpanis ſint trucidati: deinde Incolarum mores, ritus, ceremonias, victus rationem & ornatum luculenter admodum exprimit. His ingenium vafrum, acre, ad bellum pronum, vindictæ cupidum, contra Virginienſibus mite & placidum.

Licet autem nullis ſumtibus (qui ſane non fuerunt leves) aut laboribus pepercerim, ut hæc Hiſtoria ornatior, plenior & abſolutior in lucem prodiret: non defuturos tamen ſuſpicior (ut tetricum, & alienos conatus carpendi prurigine laborans eſt quorundam ingenium) qui cavillentur.

Eam ob cauſam, ut Virginiæ *patronum ante delegi Jll*[mam] *V. C. ſub cuius præſidio tuta eſſe poſſet ab iſtorum vitilitigatorum & male feriatorum hominum Theonino dente: ſic eiuſdem Jll*[mæ] *V. C. tutelæ commendandam putavi hanc ipſius ſororem* Floridam.

Jllam igitur eadem animi benignitate excipere & fovere dignabitur Jll[ma] *V. C. cum ſorore longe venuſtior ſit, & me cum vtraque commendatum habere.*

DEUS OPT. MAX. Ill[mam] *V. C. omni felicitatis genere pro divina ſua clementia proſequi velit. Datum Francofurti ad Mœnum 20. Februarij, Anno reparatæ ſalutis humanæ cIↄ Iↄ XCI.*

Ill[mæ] V. C.

humillimus cliens

Theodoricus de Bry
Leodienſis, & ciuis
Francofurtenſis.

BENEVOLO LECTORI.



NOli exiſtimare, benevole Lector, *Virginiæ*, quam ante aliquot menſes publicam fecimus, & hanc *Floridæ*, quam tibi nunc proponimus, Hiſtorias nobis dumtaxat eſſe conceſſas, ut voluptatem ex earum lectione & intuitu caperemus; tametſi, vt verum fateamur, ea res magnopere animos etiam afficiat: ſed potius, ut obſeruatis immenſis & admirandis Dei operibus, illi gratias agamus pro accepto beneficio, quod ſe nobis patefacere, & ſalutis viam nos docere dignatus ſit, cum animadvertimus miſeros iſtos Floridæ & vicinarum Prouinciarum incolas (qui tamen ab uno ex Noe liberis haud dubie originem duxerunt, à *Cham* vero potius, ut credibile eſt, quam ab vllo ex reliquis) cognitionis Dei adeo eſſe ignaros. Alioqui ſane elegāti corporis ſymmetria donati ſunt, magni, robuſti, audaces, agiles: ſummi tamen diſſimulatores & infidi. Luridum & ſordidum colorem habent, quem corporis inunctione oleo quodam, & Solis ardoribus contrahunt: nam recens nati ſatis ſunt albi.

Ad lectorem Præfatio.

Vt vero in Virginiæ hiſtoria ſignificavi à quo illius icones acceperam: ſic etiam tibi ſignificandum duxi, hanc hiſtoriam & ejus icones in Anglia accepiſſe à vidua Iacobi le Moyne, cui alias cognomen de Morgues inditum erat, pictoris, qui Laudonnierum in eam Provinciam ſecūda nauigatione comitatus eſt, iſticque icones expreſſit, deinde rei geſtæ hiſtoriam conſcripſit, quam dum viveret aliquoties mihi oſtendit.

Gaudio igitur perfuſus me eam eſſe nactum, nullis ſumptibus peperci, ut illam prælo committerem, egoque & mei liberi diligentem operam impendimus incidendis in æreas tabulas iconibus, ut nitidiores eſſent, licet parum durabiles, quia delicatior illa ſculptura facile atteritur. Mea tamen diligentia nihil effeciſſem, omnia enim in varias ſchedas diſperſa acceperam, niſi Nobilis viri mei amici benevola opera in rebus ordine diſtribuendis adjutus fuiſſem: quin & Gallicum Hiſtoriæ ſermonem ille expolivit, & eam deinde Latinam fecit, quemadmodum antea Virginiæ Hiſtoriam.

Provinciæ ergô Chorographiam, Incolarum icones, vivendi rationem & ritus ad vivum expreſſos, tibique oblatos, ut non minus commode, quam ſi in ipſa Provincia verſareris, contemplari poſſis, eo animo accipe, quo tibi offeruntur: ſpero etiam futurum, Deo annuente, ut aliquid adhuc aliud huius farinæ accipias.

Exem-

EXEMPLAR CÆſarei Privilegij.

RVDOLPHVS II. Divina favente clementia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, VVirtembergæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Recognoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, nobis & Imperio dilectum Theodoricum de Bry civem Francofurti ad Mœnum, humiliter nobis exponendum curaſſe, quod magna cura & magnis ſumptibus Incolarum Americæ habitus, ritus & mores in æneas tabulas inciderit, quod opus libenter in lucem emittere cuperet, demiſſe etiam ſupplicaſſe (quandoquidem nemini id aduerſum, ſed multis gratum futurum ſit, magnique in eam rem ſumptus ſint ipſi faciendi) ut Cæſareo noſtro privilegio eum munire clementer dignemur, ne cuiquam alteri, qui ſuum commodum cum ipſius ſummo detrimento quærit, æneas iſtas tabulas aut icones vel hoc opus imitari aut exprimere liceat. Nos illius humilibus precibus annuentes, ex certa noſtræ Cæſareæ Maieſtatis ſcientia & authoritate hanc gratiam & privilegium prædicto Theodorico de Bry concedimus, vt prædictos typos & icones in lucem edat, & ne intra quadriennium ab huius privilegii conceſſione ſupputandum, quiſpiam, quicumque tandem ille ſit, iſtas icones ad imitationem excudat, aut ſic impreſſas invehat, importet, aut vendat. Quapropter inhibemus ſingulis noſtris & ſacri Imperii ſubditis & fidelibus, cuiuſcunq; dignitatis, ſtatus & conditionis ſint, præſertim autem omnibus Typographis, bibliopolis, aliiſque librariam negociationem exercentibus, niſi noſtram indignationem & gravem pœnam incurrere velint; & vetamus, ne quis eorum, aut alius eorum nomine, prædictas æreas tabulas & icones quas ſæpe memoratus Theodoricus de Bry excudet, intra dictum quadriennium ad imitationem imprimat, aut ſic impreſſas circumvehat, venales proponat aut quoquo modo diſtribuat, alioſve id facere permittat, ſub pœna noſtræ indignationis & amiſſionis ſingulorum exemplarium dictæ impreſſionis, quæ ſæpedictus Theodorus de Bry, vbicumque locorum nactus fuerit, per ſe, vel ſuos, propria authoritate & ſine impedimento ſibi vendicare, atque illis pro ſuo arbitrio vti poterit, libere, & ſine detrimento.

Debebit tamen ſæpe præfatus Theodoricus de Bry, niſi hac noſtra gratia & privilegio privari velit, tria præfatæ impreſſionis exemplaria propriis impenſis ad noſtram Imperialem Cancellariam tranſmittere. Harum teſtimonio literarum manu noſtra ſubſcriptarum & ſigilli noſtri impreſſione munitarum, Datum in noſtra Regia arce Pragæ, vigeſima quarta Martii, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo & nonageſimo, Regnorum noſtrorum Romani decimoquinto, Hungarici decimooctauo, & Bohemici etiam decimoquinto.

Rudolphus.

Ad mandatum ſacræ Cæſ^{ae}
Ma^{tis} proprium

Iacob Kurz von
Senfftenau.

A. Erſtenberger.

HISTORIA LVCTVOSÆ

EXPEDITIONIS

GALLORVM IN REGIONEM FLORIDAM, OMINE ADMODVM INFAVSTO SVSCEPTÆ,

Anno 1565.

DE Inuentione & adminiſtratione Regionis FLORIDÆ, *ſpecialiter vero de Itinere Ioannis Pontij, Ferdinandi Sotti; & quorundam item Monachorum, diuerſis temporibus nimis infeliciter in has terras inſtituto.*

Eſt animus, iuuatque memorandam Expeditionem in FLORIDENSIVM *Regionem per Gallos factam ſtylo noſtro proſequi, ea quidem ſerie vt priuſquam ad ipſum opus accingamur, de inuentione, mox de adminiſtratione eius quædam ſuccincte præmittamus; Inuentionem origine, nomine & ſitu abſoluemus breuiter.*

I. De Inuentione FLORIDÆ.

Joannes Pontius à quibuſdam primus Inuentor celebratur. Non procul ab Hiſpaniola Inſula, in ea mundi parte, quæ à recentioribus nouæ Indiæ titulo celebratur, ſita eſt & alia quædam Boriquena dicta: Hæc mutato nomine noſtra ætate ab Hiſpanis vocatur Inſula Sancti Iohannis de portu diuite.

Ioannes Pontius primus omnium perhibetur inueniſſe hanc, & in ea Præfecturam obtinuiſſe: ſed cum hanc ſedem ſibi non ſatis tutam, ſtabilitamve exiſtimaret, propter Didacum, magni iſtius & celebratiſſimi Chriſtophori Columbi filium Admiralium, ſeu Claſſis Præfectum Generalem & Gubernatorem Regium per nouas Inſulas (cuius potentiam ſuſpectam habens, metuebat ne ex inuidorum machinatione per ipſum aliquando pelleretur ea Inſula) tempori ſibi de hoſtibus euitandis, deque nouis ſedibus inueſtigandis conſulere voluit.

Anno igitur ſalutis 1512. priuato ſumptu, duabus celocibus, commeatu & militibus inſtructis, vela in altum dedit, & tamdiu continentis littus ad Septemtrionem

)()(

vergens ſecutus eſt, donec inſulam Biminiam offenderet, eamque exploraret, quæ verſus polum Antarcticum, non vſque adeo à feraciſsima illa & ampliſsima inſula Cuba poſita eſt.

Fons Iuuentutis.

Circa hæc ipſa tempora conſtans rumor ſpargebatur de ſcaturigine ſeu fonte aquæ cuiuſdam medicamentoſæ, cuius tanta eſſet virtus & naturæ vis, vt ſi quis eam potaret, quantumuis decrepitus, & plane iam canis obſitus, vi & efficacia eius adeo iuueneſceret, vt adoleſcentis viginti annorum florem & vigorem referre videretur.

Huius famæ celebratione Pontius illectus; multum diuque circa hanc inſulam vagabundus, inueſtigationi, mirandæ huius, ſed fabuloſæ interim ſcaturiginis, cuius tantæ virtutes prædicabatur, miro ardore indulſit, vireſque plus detriuit indies, quàm eas repararit. Nam vltra ſemeſtre varia circumuectus maria, varias moleſtias errando pertulit.

Toto itaque iactatus pelago, & ſpes tantas fruſtra proſequens, tandem primus ipſe delatus eſt in nouas & ante hac plane incognitas Indiæ Occidentalis oras mediterraneas, ex parte continenti iunctas.

De nomine Regionis FLORIDÆ.

Ingreſſus itaque Regionem hanc Pontius, eam nomine FLORIDÆ *inſigniit, quod caſu in ipſo Palmarum feſto, quæ feſtiuitas Hiſpanorum conſuetudiue Paſcha Floridum dicitur, huc appuliſſet, primuſque eam obſeruaſſet.*

De ſitu ſeu poſitu Regionis FLORIDÆ.

Huius Regionis pars prominens ſeu anterior non diſsimilis eſt manicæ, cuius cuſpis longo tractu in mare excurrit.

Longitudo eius circiter centum, latitudo vero quinquaginta miliaria Gallica, ſeu leucas patet. Extremum promontorium viginti quinque gradus ab æquinoctiali linea diſtat: dehinc paulatim ſeſe explicat & expandit verſus Thraciam ventum, ſiue æſtiualem Solis occaſum. Vndoſa ſunt circa eam cuſpidem ſeu promontorium loca plurimæque Inſulæ Martyres nuncupatæ, qua Orientem ſpectat.

Corollarium de variatione autorum circa Inuentorem.

Autores de Inuentore eius variant. M. Vrbanus Calueto in ſpeciali tractatu ſuo Gallico, de Nouo orbe, quem collegit ex Benzonij Hiſtoria Italice ſcripta, originem inuentionis eius paulo antiquiorem facit, & eam ab Italis inuentoribus, ſub Regis Britanniæ Henrici ſeptimi auſpicijs deducit, quanquam Hiſpani ſuæ genti fauentes, ſibi eam arrogent. Eius verba ſubijciam: Quantum ad inuentionem FLORIDÆ *(inquit) eius palmam Franciſcus Lopes de Gomara, Hiſtoricus Hiſpanus, ſuæ gentis hominibus aſſcribit, & Hiſpano cuidam Ioanni Pontio Legionenſi attribuit, & hoc quidem eius rei gratia, vt axioma quod indubitatum eſſe ſibi perſuadet (cum tamen ſit falſum) verũ eſſe aſſerat; nempe omnes Indiæ Prouincias ab Hiſpanis inuentas eſſe, exceptis quas* CHRISTOPHORVS COLVMBVS *Genuenſis Italus obſeruarit.* Hiſtor. gen. lib. 2. cap. 1.

Qui-

Qui vero hanc FLORIDENSIVM *Regionem primus inueſtigarit, is certo indicio doceri poteſt, fuiſſe nauclerum Venetum, qui eam Anno 1496. primus obſeruauit: quam rem ſe ita habere Italus quidam nobili familia natus, Philoſophiæ inſuper, & Mathematicarũ ſcientarum peritiſſimus conſtanter aſſeruit, qui ſe id ex ipſius Naucleri inuentoris ore audiuiſſe affirmabat, & tum cum hęc affirmaret, multos adhuc ſuperſtites eius nauigationis comites, teſtes huius rei commonſtrabat: qui quidem, ſi vir hic nobilis falſum aſſeruiſſet, ipſum mendacii arguere potuiſſent.* 1496.

Hæc autem ſunt ipſius viri nobilis Philoſophi verba, quæ magnificis quibuſdam Venetis ſenatoribus dixit, cum de ratione inuehendorum aromatum ageretur. An ignoratis inquit (erat autẽ ſermo inſtitutus de inueſtiganda orientali India, qua Thracias ventus flat) quid egerit ciuis quidam veſter, vir rei Nauticæ & Coſmographiæ adeo peritus, vt hodie in tota Hiſpania ſibi parem non habeat, eum autem peritia & induſtria in tantum euexit, vt REX *Hiſpaniæ ipſum præfecerit omnibus naucleris in Occidentalem Indiam nauigationem inſtituentibus, à cuius etiam autoritate res nautica ita pendet, vt nemini, niſi ipſius permiſſu vel eo nauigare vel rem nauticam exercere liceat. Vnde nomen Supremi Naucleri tulit. Hic eſt Dominus ille Sebaſtianus Gabotus, quem ante aliquot annos inuiſi, cum eſſem Hiſpali, ipſumque deprehendi prudentem admodum & perhumanum. Nam honorificentiſſime me excipiens, plurima ſingularia mihi commonſtrauit; inter alia vero egregiam & artificioſiſſimam quandam tabulam Coſmograghicam, in qua delineatæ erant omnes peculiares navigationes Luſitanorum & Hiſpanorum.*

In commentario de Itineribus inuehẽdorum aromatum cauſa ſuſceptus.

Edocuit etiam me, qua occaſione ad harum rerum cognitionem, & peritiam tam perfectam euectus eſſet, vt videlicet pater eius Venetiis in Angliam negociationis ergo nauigarit, & Londinum vſque peruenerit, ſe admodum iuuene aſſumpto, non tamen adeo ignaro, quin iam humaniores artes & fundamenta Sphærica aſſecutus fuerit, patrem autem circa id tempus iſtic extremum diem obiiſſe, quo fama celeberrima percrebuerat, Magnum illum Chriſtophorum Columbum magnanima indagatione ſua aperuiſſe oras Indicas, & hæc fama adeo per Angliam, & in ipſa Regis Henrici ſeptimi, qui tum rerum potiebatur, aula inclaruerat, vt non humana induſtria, ſed plane numine quodam factum crederent, vt iter per occaſum in ortum patere obſeruatum eſſet.

Henricus VII. Angliæ Rex.

Huius igitur famæ gloria adeo inflammatus fui, vt ipſe aliquod opus ſingulare & immortale animo conciperem: cum igitur adiutus mathematum cognitione, ſphærica ratione mihi perſpectum eſſet, nauigatione ad Thraciam ventum, qui medius eſt inter occaſum & ſeptemtrionem, compendium itineris facturum ad Orientales Indias, Regiam Maieſtatem de hoc propoſito meo certiorem facere conſtitui. Rex Henricus ſeptimus inſtitutum meum ſummopere probauit, & naues duas ſuis ſumptibus inſtructas mihi præbuit.

Anno igitnr 1496. in principio veris ex Anglia ſolui, iter inter occaſum & 1496.
ſeptemtrionem dirigens. Nec animus erat ad vllam regionem appellere, priuſquam ad Cataij oram maritimam perueniſſem; hinc ad Indiam deſcendere proponebam. Sed elapſis aliquot diebus me à ſcopo aberraſſe animaduerti, & ad terram delatum, quæ ad Septemtrionem tendebat, vix dici poteſt quam animo tum cõſternato fuerim: Nihilo-

minus propoſitum meum inſtanter vrgens, & oras legens Septemtrionem verſus, ipſum mihi ſcopum ſtatuebam, ſperans ſinum aliquem me reperturum, qui ſe inter occaſum & Septemtrionem conuerteret, donec ad poli noſtri antarctici 56. graduum altitudinem peruenirem.

Huc euectus obſeruaui littus declinare verſus ortum: itaque omnem ſpem abijciens me iſtic fretum aliquod aut tranſitum reperturum, remenſus ſum iter confectum, vt littus ad æquatorem tendens diligentius obſeruarem, ſemper ſperans fretum aliquod inuentum iri, per quod in Indiam penetrarem: atq; tamdiu illud ſecutus ſum, donec ad terram, quæ hodie noſtris Florida dicitur, deferrer. huc profectus ſubſtiti, nec vlterius tetendi, quia commeatus deficiebat, & inde in Angliam redij.

Hic igitur Gabotus fuit, qui Regis Angliæ auſpiciis primus FLORIDAM *obſeruauit, eaque ratione plus iuris in eam habent Angli, quam Hiſpani, ſi ad acquirendam Prouinciæ alicuius iuris dictionem ſufficit primam omnium illam conſpexiſſe. Porro hæc Gaboti profectio tantam illi laudem conciliauit, vt in Angliam rediens, eamque ſeditionibus & bellis ciuilibus turbatam reperiens, in Hiſpaniam conceſſerit, vbi à Catholicis Regibus Ferdinando & Iſabella, humaniſſime exceptus fuit, traditisq; illi nauibus ad Braſiliæ regionis oram maritimam luſtrandam miſſus, cum claſſe eo profectus eam perluſtrare non deſtitit, donec ad ingentem illum fluuium vulgo de* PLATA, *hoc eſt, argenteum cognominatum perueniret, quem aduerſum ad ſexcentas leucas ſubijt, exiſtimans fretum quodpiam eſſe, aut meatum marinum, qui ab altera continentis parte ſe in mare exoneraret, & illi iter præberet in Orientalem Indiam.*

Proximus poſt Gabotum, qui ad Floridam prouinciam peruenit (quantum quidem reſciri poteſt) fuit Ioannes Pontius Legionenſis, cuius ante facta mentio.

Pars altera, quomodo adminiſtrata fuerit Florida.

Pontius igitur ea Prouincia duntaxat ſalutata & exoſculata, in Inſulam D. Ioannis de portu diuite reuertitur, ea ſpe vt claſſe iſthic parata ad occupandam FLORIDAM *proficiſceretur. magnas enim opes ſe in ea Prouincia reperturum putabat, & florentem ſtatum ſtabiliturum: itaq; magnis impenſis in paranda claſſe factis, Hiſpanias petijt, ad obtinendam à Rege Prouinciæ illius occupationem, & occupatæ adminiſtrationem. Eo cum perueniſſet: Regiam Maieſtatem de maximis à ſe laboribus & diuturnis periculis in impetuoſo mari exantlatis edocet, ab eademque vt pro tot tantisq; exhauſtis laboribus gubernatione & Præfectura, tum Inſulæ Biminiæ, tũ Regionis* FLORIDÆ *donaretur, anxie contendit. Sed ægre id obtinuit & interceßione magis amicorum, quam ex proprio merito & officiis à ſe fideliſſime præſtitis voti petitionisque compos factus eſt. Poſtquam iam Prouinciam hanc à Regia Maieſtate obtinuiſſet, iter in Boriquenam Inſulam, alias S. Ioannis de portu diuite, remetitur, & magnis impenſis milites conſcribens claſſem inſtruit, proponens animo ſuo per totam Biminiam Inſulam & Regionem Floridenſium nouas deducere colonias. Sed vbi littus* FLORIDENSE *vix contigiſſet, & ſocios, arma, commeatum, ac naualia expoſuiſſet, iamque in loco opportuniore oppidum & arcem condere moliretur; barbarorum turba, attonita horum barbatorum hominum & peregrinorum nauigiorum con-*

ſpectu

ſpectu, telis ſuis venenatis inopinato ipſos opprimunt, tantoque impetu in ipſos ea torquent, vt magna ſociorum parte cæſa, reliqui turpi fuga ſibi conſulerent, & nauibus conſcenſis abirent.

Infelix aduentus Pontii in FLORIDAM.

Pontius ipſe in hoc tumultu iaculo infecto lethaliter vulneratus, vnus è fugientibus fuit, & vento Cubam Inſulam delatus ex vulnere iſtic expirauit. Sed nec ſolus Pontius vita exutus occidit, ſiquidem multi Hiſpanorum, quos huius expeditionis ſocios aduexerat ex telorum veneno grauiter ſauciati partim ocyus, partim ſerius grauiſſimis & intolerabilibus cruciatibus prius excarnificati, animas efflarunt. Nec enim vlla medicina huius veneni inflammationi reſtinguendæ ſufficiens excogitari poterat, ita factum eſt vt tunc temporis, intacta & inculta relinqueretur: inuentori ſuo exitioſa quidem, ſed ipſa ex cæde ipſius nobilitata exiſtens.

Ferdinandus Sottus FLORIDAM inuadit, Anno 1554.

Multo tempore deinceps propter Incolarum ferociam & fortitudinem intacta fuit, nec quiſquam cum barbaris tã pugnacibus congredi auſus fuit, donec multis annis poſt, Ferdinandus Sottus generalis Præfectus militum Hiſpanorum (qui ex præda à Rege Peruano Attabalibe capta, magnis diuitijs auctus erat) animo iam ad maiora inflammato ab Imperatore Romano obtinuiſſet, vt expeditionem in Prouinciam hanc ſuſciperet, & deuictæ dominaretur. Is circiter annum triceſimum quartum ſupra milleſimum & quingenteſimum, quingentorum militum, inter quos multi veterani, copiis inſtructus, vento ſecundo in eas oras delatus eſt: ſed nihil aliud ſomnians, quam auri fodinas, hac illac vagari cœpit: fodinas iſtas requirens, nulla interim ſollicitudine ductus, vrbem aliquam condendi, aut coloniam traducendi; verum non reperiens eas opes, quas iam animo deuorarat, milites in mediterranea abducens, excurſionibus & impreſſionibus ſubinde factis miſere incolas diuexabat, & animum ad auri & gemmarum theſauros plane conuertens, paßim earum fodinas perſcrutabatur. Siquidem perſuaſerat ſibi hanc Regno Peruano fertilitate auri & fodinarum vbertate non fore inferiorem.

Hinc aureos ſibi montes pollicens, & immenſas animo ſuo diuitias concipiens, non tantum de Imperatoriæ Maieſtatis fauore & gratia (ob reditus quos annuos Cameræ Cæſareæ penderet) intime obtinenda: ſed de nominis & famæ etiam apud poſteritatem immortalitate conſequenda, magnam animo ſuo ſpem fidemque fecerat.

Ferdinandus Sottus ſpe ſua deiicitur.

Poſtquam vero integrum quinquennium incolas in fodinis habuiſſet ærumnoſißimos, neque quicquam commodi vel lucri inde ad ſe rediret, operamque & oleum, quod dicitur, perdidiſſet, non tantum ſocios ſpe inani lactatos fiducia deiecit, ſed & ipſe ob auaritiæ morbum, & conſiliorum confuſionem langueſcens, contabuit:

Videns enim ſe tanta ſpe & molimine cecidiſſe, impenſis fruſtratum, & ſibi cum dedecore ab incepto deſiſtendum, æger ipſe animo, ſeque excrucians ex mœrore tandem conſumptus vitam finiit. Socij eius plerique omnes à barbaris attriti, & è medio ſublati perierunt.

Hiſpani ſollicitatores repulſam tulerunt.

Exitiale hoc Ferdinandi Sotti fatum, nihilo plus aliorum animos abſterruit, quo minus & ipſi fortunam ſuam in barbaris hiſce experirentur, & ſpe aureorum montium hoc profectionis tædium alleuarent.

1544. *Anno 1544. multi extiterunt, qui hanc Regionem domitam Hiſpanorum imperio adijcere ſibi pollicerentur; Inter hos maxime claruit Julianus Samanus & Petrus Ahumada, qui de occupanda & adminiſtranda ea Maieſtatem Regiam ſollicitarent.*

Sed nec Carolus V. Imperator, qui ea tempeſtate in Germania belligerabatur, nec Philippus huius filius, qui Hiſpanias abſente patre imperio regebat, conſentiente etiam his Camera ſeu Conſiſtorio Indiano, cuiquam plenariā poteſtatem huius regni debellandi, aut nauigando exquirendi commiſerunt: quippe ſubolebat ipſis, & vel indicibus, vel coniectura conſequi poterant, Sottum cum ſocijs ſuis libertate & poteſtate inſolenter abuſos, & ex nimio habendi ardore miſeris incolis in fodinas metallicas detruſis, tam crudeles tamque intolerabiles extitiſſe; quæ res conſpirationi occaſionem præbuerit, vt Sottus cum ſociis funditus exſtirparetur, conducibiliusque eſſe duxerunt, Monachos eo mitti, qui concionibus hos feroces homines ad Chriſtianam religionem amplectendam pellicerent, quam milites, qui vi cogerent.

Dominicani precibus & ſuauiloquentia Barbarorum animos aucupari tentant.

Huc accedebat, quod Monachi quidam ex Occidentali India recens reuerſi, publice per Hiſpaniam concionarentur, magnam iniuriam miſeris illis fieri, dum milites eo ablegantur, qui ipſos ad ſeruitia pertrahunt, ipſos deprædarentur, atque occiderent, cum ad veram DEI *cognitionem adduci poſſent, ſi qui ipſorum lingua vernacula ipſis concionarentur. Ea de cauſa Monachi delecti, qui in* FLORIDAM *aliasque prouincias mitterentur, ad Barbaros & feroces iſtos blandimentis potius, & verborum lenocinio demulcendos alliciendosq;, quam armorū truculentia, & ſuppliciorum rigore prouocandos, aut in furorem agitandos eſſe; cum inſuper vltro fidem facerent, ſe autoribus hoc negocium ita confieri poſſe, neque ſe ſolum precibus & ſuauiloquentia, hos Chriſtianæ fidei atque religioni, ſed etiam Romanæ Cæſareæ Maieſtatis imperio lucrifacturos; Huic Monachorum orationi, Imperator & Conſiſtorij Indici aſſeſſores facile perſuaſi aſſenſerunt, & probantes conſilium tam ſalutare, hanc prouinciam ipſis commiſerunt.*

1549. *Anno itaque 1549. Frater Ludouicus Cancellus de Baluaſtre Ordinis Sancti Dominici, adiunctis ſibi quatuor ex eodem ordine itineris ſui comitibus & negociorum ſociis, peregrinationem hāc ſumptibus Cæſareæ Maieſtatis publicis ingrediтur.*

Vbi

Vbi iam fauſto alite perfeciſſet iter, placide ad littus adremigant, & loco ouationis, & moris à nauarchis recepti (quo tormentis bellicis magno fragore boantibus inſuetis, & hominibus feris terrorem incutiunt) noſtri hi religioſi, nil præter cruces rubentes in pacis ſignum manibus præferunt.

Frater itaque Ludouicus, ſocijs & nautis quibuſdam comitatus, terræ ſeſe exponit inermem, nulloque telorum præſidio munitum, vt qui pacis Euangelium denunciare, nec armorum vim, aut gladiorum aciem precibus ſuis obtendere velit.

Monachi à Barbaris diſcerpti.

Exorditur Euangelij prædicationem, ſperans barbarorum animos conſolatione Euangelica mitigari poſſe, quod quidem non abs re fuiſſet, niſi animi eorum diuturnis vexationibus adeò exaſperati fuiſſent, vt plane intractabiles redditi fuerint (ſunt enim huius Regionis Incolæ reliquis barbaris nonnihil manſuetiores, nec vt reliqui humana carne veſcuntur.) Ergo vt primum in conſpectum venerunt, illi accelerantes confertim accurrere, & gregatim eos circumfluere, non quidem vt Evangelicæ prædicationi auſcultarent, ſed vt fuſtibus tanquam inſanos eos obruerent, & proſtratos perderent. Ludouicus quantum oratione, quantumque verborũ ſuauitate atque eloquentia valebat, animos eorum demulcere; illi tanquam ſurdo fabula caneretur, obturatis auribus contra tendere, irruere, vociferari. Hic ergo inani verborum ſtrepitu auras ventosque laceſſens à tumultuantibus vrgeri, obrui, & vna cum duobus ex ſocijs in cõſpectu reliquorum miſere diſcerpi, vitaque breui momento priuari.

Reliqui conterriti hoc ſpectaculo, & tam tragico ſuorum exitu, fuga ſibi ocyus proſpiciunt, ſatius exiſtimantes inter ordinis ſui confratres pietatis laude conſeneſcere, quam apud hos tam inhumanos, & moribus plane ruſticis præditos, corona martyrii inſigniri, naues conſcendunt, vela ventis implent, & re infecta Hiſpanias repetunt.

Corollarium.

Quidam domeſticorum Ferdinandi Sotti, qui à morte Domini ſui in iſtis locis vitam degerat, & in Monachorum nauem fuga euaſerat, pro comperto retulit barbaros Ludouico comitibusque occiſis cutem integram detraxiſſe, ſuorumque idolorum in delubris ad æternam rei geſtæ memoriam ſuſpendiſſe.

Concluſio.

Hæc ergo ea eſt REGIO FLORIDA, *de qua in noſtro Compendio ſubſequente plenius agemus, quæ olim ob clades Hiſpanis illatas inter reliquas Indiæ prouincias ſatis claruit, noſtra vero ætate ob Gallorum in ea fatum lamentabile, & cum ſumma iniuria eiectionem per Hiſpanos factam, longe clarior euaſit, multoque nobilior.*

DE OCCASIONE ET AVTORE HVIVS HISTORIÆ.

Jacobus l'Moyne, aliâs Morgenſis, natione Gallus, pictor inſignis, qui in Hiſtoriæ contextu Iacobus Morguiſius Diepenſis dicitur; vnus ex 20. illis, qui cum Laudonniero Duce ex cæde euaſerant, ſpectator & totius actus pars, poſtquam rediens in Gallias rem omnem Regi enarraſſet, à Rege vt in tabulas referret admonitus, eam in ſuæ linguæ idiomate fideliſſime proſecutus eſt: ſed priuatim ſibi ſuisque aſſeruans, hactenus eam in publicum prodire noluit. Verum paucis ab hinc annis, cum Londini in Anglia verſaretur honeſtus vir Theodorus de Bry Leodienſis, cum illo magnam familiaritatem contraxit, & de plurimis rebus ad hanc hiſtoriam pertinentibus inſtructus eſt; deque ea publicanda inter ipſos conuentum. Verum Morgenſe ſublato è viuis, ab eius vidua precio redemptam ſibi mancipauit Theodorus prædictus, Anno 1587.

Omnibus itaque innoteſcere cupimus nos Hiſtoriam hanc noſtram, plane nouam & ante non auditam in lucem proferre, nec ex auditu aut fundamento quouis futili, ſiue etiam inuidia aut odio alicuius liuentes, ex aliis qui ante nos diuerſimode hiſtoriam hanc compilarunt contexuiſſe, ſed noſtri autoris textum ſancte & religiose obſeruaſſe. Secuti igitur exemplar Gallice exaratum, Latino & Germanico ſermone ad verbum expreſſimus, publicæ vtilitati conſulere volentes.

Adumbrationes autem & rerum geſtarum effigies atque imagines ad viuum expreſſas, per autorem ipſum horum omnium ſpectatorem conſignatas, & vbiuis cum mente & ſententia ipſius textus congruentes affabre & artificioſe in ære effinximus, & in gratiam ingenioſorum, vt res non narrari tantum, ſed & geri coram luculenter videatur, publice propoſuimus.

Qua in re ſi quid opera atque induſtria aut ſumptibus etiam præſtitum eſt, boni hoc atque æqui conſulentes, viciſſim honeſtum & ingenioſum virum Theodorum de Bry Leodienſem, & ciuem apud inclytam Francofortenſium ad Mœnum rempubl. cuius ope atque opera, quicquid id eſt omne conſtat, amore & beneuolentia veſtra proſequamini; & eum ſtudio ac fauore veſtro dignum, ad maioraque excitandum omnino exiſtimetis.

GALLO-

RPJCB


Montes Apalatci, in quibus auru
Apalatci
In hoc lacu Indige
argenti grani
Ouſtaca
Onatheaqua
Appalou
Potanou
FLORIDA PRO
AB INDIGENIS DICTA IAQVAZA
Ehiamana
Anouala
Hica
Aſtina
Choya.
Vtina.
Eloqualé
Patchica
Enecaq
Timoga
Melona
Aquouena
Edelano
Eclanou.
Cadica.
Chilili
Omitaqua.
Calanay.
Mocoſo.
Mathiaca.
Mayarca.
Onachaquara.
Laudon
Maiira.
Marracou.
Hanocouay
Ribau
Sorrochos
F. Sorrochos
Hic deſcendit Pamphilus Nervaez
Sinus Morguel.
F. Guate
F. Madalena
F. Florum.
F. Aethiopum
Portus Ioānis
Natiuitatis
Prom. abſconſum.
Lacus aquæ dulcis
Adeo magnus eſt hic lacus ut ex una ripa conſpici altera non poſſit. Diſtat a Charlesfort 180 leucis.
Mexicani Sinus pars
Sinus Ioannis Ponce.
Oathkaqua
Prom: Cāna
F. Canotes
Lacus & Inſula Sarrope
Mocoſſou
F. Pacis
Aquatio
Aeſtuaria
Bimini.
Bahar
Iardines
CALOS
Calos
Inſulæ dictæ Teſtudines.
Scopuli dicti Martyres
Prom. Floridæ
Haec maris pa
Hauana
F. Marien
Portus Matancas.
Cuſins. S. Antonij
Xaqua
Guanagnarico
Cuba inſula.
Inſula Pinorū
Iardines ſcopuli, nauigantibus formidabiles
S. Trinitatis.


FLORIDAE AMERICAE PROVINCIAE
Recens & exactiſſima deſcriptio
Auctore Iacobo le Moÿne cui co-
gnomen de Morgues, Qui Laudō-
nierum, Altera Gallorum in eam
Prouinciam Nauigatione comitat⁹
eſt, Atque adhibitis aliquot militibus,
Ob pericula, Regionis illius interi-
ora & Maritima diligentiſſimè
Luſtrauit, & Exactiſſimè dimenſus
eſt, Obſeruata etiam ſingulorum
Fluminum inter ſe diſtantia, ut ipſe-
met redux Carolo.IX. Galliarum
Regi, demonſtrauit.
SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
Pars Maris Antillarum
Scala Leucarum
Marinarum
Terreſtrium
Chicola
Stalame.
Charlefort
F. Iordanis
Terra plana
Littus rectum
Siccum
Prom. S. Romani
F. Humile
Portus Principis
F. Bays.
S. Michael
Prom. Terra falſi
Portus Regalis, ſiue
S. Helenæ
Prom. Lupi
Mayou
Oupa
Adyſta
Falcus
Couexis
F. Belluis
F. Garumna
F. Gironda
Charenta
F. Ligeris
F. Axona
Iacana.
F. Sequana
Hiouacara
F. Aij
F. Sarrauahi
F. Alimacani
F. Maij
Patica
F. Delfinum
Carolina
Yocajouque ſiue maior Lucaya.
Zagareo.
plenā eſt Inſulis, ſcopulis, breuibus et puluinis valde inſidioſis.
Mons Chriſti
Iſabella
Portus Patris
Cubanacan
Baracca
S. Iacobi
Portus abſconſus.
Cuſpis Maiaci
Albayhamo
35
34
33
32
31
30
29
28
27
26
25
24
23
22
21
20

DE OCCASIONE ET AV

RPJCB

GALLORVM IN FLORIDAM AMERICÆ PROVINCIAM ALTERA NAVIGATIO, DVCE LAVDONNIERO, ANNO M D LXIV.

ANTE quam hujus Hiſtoriolæ Narrationem exordiar, operæpretium eſſe duxi Prouinciæ Floridæ brevem Deſcriptionem prius dare, & de Indigenarum natura & moribus aliquid præfari, ut Lectores facilius quæ in ea continentur, intelligere poſſint.

ORBIS Quarta pars, quam hodie Americam, ſive Occidentalem Indiam appellamus, Veteribus incognita fuit, propter nimiam diſtantiam: quinimo omnes Occidentis Inſulæ, & eæ quæ Fortunatæ dicuntur, ſolummodo à recentioribus fuerunt inventæ: licet nonnulli affirmare voluerint Cæſaris Auguſti ætate cognitas fuiſſe, atque Virgilium id innuere Æneidos VI. his verbis:

---jacet extra ſidera tellus,
Extra anni, Solisque vias, ubi cælifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Facile tamen judicari poteſt, de hac orbis parte non intellexiſſe, cum nemo ejus ætate de ea ſcripſerit; neque etiam mille poſt eum annis.

Chriſtophorus Colonus primus omnium in hanc terram appulit anno Salutis humanæ quadringenteſimo nonageſimo ſecundo ſupra milleſimum; & quinto poſt anno Americus, ex Regis Caſtellæ mandato eo profectus, ex ſuo nomine Americam nuncupavit, quod nomen poſtea retinuit. Feliciter verſatus is erat in Aſtronomia, & navigationis peritus: itaque multas provincias veteribus Geographis incognitas obſervavit. Vocatur à nonnullis *Braſilia, & Terra Papagalli:* patet auctore Poſtello à polo ad polum, excepto Freto Magellanico, vbi deſinit, quinquaginta duobus gradibus ultra Æquatorem.

Eam porro facilioris intelligentiæ cauſa in tres primarias partes dividam. Quæ ad polum Arcticum ſive Septentrionem vergit *Noua Francia* appellatur, quia anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto, *Ioannes Verrazanus*

Florentinus miſſus à Rege *Franciſco I.* & Matre ipſius Regno præfectæ, in novum orbem, totum littus illud marinum obſervavit, quod à Tropico Cancri fere ſcilicet à vigeſimo octavo gradu uſque ad quinquageſimum protenditur, atque etiam ulterius verſus Septentrionem: & Regis inſignia fixit: ſic ut Hiſpani ipſi, qui poſtea eo appulerunt, illam Americæ partem, Terram Francicam nominarint. Latitudo autem ejus eſt à vigeſimo quinto gradu, ad quinquageſimum quartum ad Septentrionem: longitudo vero, à ducenteſimo octuageſimo ad treceneſimum trigeſimum. Orientalis ejus pars à recentioribus *Norumbega* dicitur, ad ſinum uſque *Gamas* extenſa, quo à *Canada* (ad quã *Robertvallus* & *Iacobus Carterius* pervenerunt anno milleſimo quingenteſimo triceſimo quinto) diſcreta eſt. Circa hanc multæ ſunt inſulæ, & inter eas Terra *de Labrador* nuncupata ad *Gronelandiam* tendens. Occidentalis pars multas Provincias jam cognitas continet, quales ſunt *Quivira*, *Cevola*, *Aſtatlan*, & *Tetlichichimichi*. Meridionalis, *Florida* appellatur, quia Palmarum die quem Galli *Floridum Paſcha* vocant, fuit obſervata. Borealis pars plane eſt incognita.

Americæ pars altera *Hiſpania nova* nuncupatur: incipit à Tropico Cancri, videlicet viceſimoquinto gradu ad nonum. In ea ſita eſt *Themiſtitan*, multasque continet Provincias, & inſulas adjacentes, ut quas nominant *Antillas*, quarum primariæ & magis celebres *Hiſpaniola* & *Iſabella*, & aliæ innumeræ. Totius huius partis longitudo, comprehenſis etiam Mexicano ſinu & omnibus ſupradictis inſulis, eſt ſeptuaginta duntaxat graduum, à ducenteſimo videlicet & quadrageſimo quinto, uſque ad treceneſimum & decimum quintum: longa igitur & arcta eſt *Italiæ* modo.

Tertia *Americæ* pars *Peru* dicitur: ampla eſt admodum, ejuſque altitudo eſt à decimo gradu cis Æquatorem ad quinquageſimum ſecundum trans Æquatorem; nempe ad fretum uſque Magellanicum. Forma ejus ovalis, undique admodum cognita: qua magis in latitudinem patet, ſexaginta gradus continet, inde ad utrumque extremum paulatim graciléſcit. In quadam eius parte, videlicet ſub Tropico Capricorni, habitavit *Villagagnonus*, & eam *Franciam Antarcticam* appellauit; quoniam ad polum Antarcticum tendit, ut Europæa ad Arcticum.

Nova Francia ejuſdem fere amplitudinis cum noſtra *Europa*: ejus tamen pars magis cognita & culta, eſt *Florida*; ad quam multi Galli variis navigationibus pervenerunt: cultiſſima igitur eſt totius Nouæ Franciæ Provincia. Eius Promontorium centum leucis in mare protenditur, atque ad Septentrionem vergit. Ex adverſo habet vigintiquinque leucis diſtantem inſulam *Cubam*, quæ alio nomine *Iſabella* dicitur: ad Orientem *Bahamam*, & *Lucaiam*: ad Occidentem Mexicanum ſinum. Plana eſt regio, multis fluminibus ſecta, eam ob cauſam humidior & arenoſa in maritimis. Iſtic naſcitur magna Pinorum quantitas, quorum ſtrobili nucleis carent. Naſcuntur quercus, Iuglandes, ſylueſtria ceraſa, Mora, Lentiſci, Caſtaneæ, Gallicis tamen magis ſylveſtres, frequentes cedri, cupreſſi, lauri, palmæ, aquifoliæ, & vites ſylveſtres, vicinas arbores ſcandentes,

dentes,& edulas uvas proferentes. Meſpilorum item genus, quorum fructus Gallicis præſtantior & craſſior eſt; ſunt etiam iſtic pruna fructu elegāti, ſed non admodum grati ſaporis: Rubus item Idæus, & exigui quidam fructus palato valde grati, quos Galli *Bleves* (Germanorum Heydelbeer forte) appellant. Creſcunt etiam radices eorum lingua *Hatle* dictæ, è quarum farina in annonæ penuria fit panis.

Quadrupedes iſtic vulgatiores ſunt Cervi, Cervæ, Hinnuli, Damæ, Vrſi, Leopardi, Lupicervarii, Lynces, Luporum varia genera, ſylveſtres canes, Lepores, Cuniculi; Aves, Gallo-pavones, Perdices, Pſittaci, Columbæ, Palumbes, Turtures, Merulæ, Cornices, Accipitres, Falcones, Æſalones, Ardeæ, Grues, Ciconiæ, Anſeres ſylveſtres, Anates, Corvi aquatici, Ardeolæ albæ, rubræ, nigræ, & cinereæ, & aquaticæ aliæ quamplurimæ. Tanta eſt Crocodilorum frequentia, ut homines natantes ſæpenumero ab illis appetantur, ſerpentum varia genera, & animalis quoddam genus non multum ab Africanis leonibus diverſum. Auri & argenti, quibus inter ſe commercia exercent, copia apud eos invenitur; quam, ut ab ipſis intellexi, ex navium quæ ad littora alliduntur naufragio adipiſcuntur: & facile ita ſe rem habere mihi perſuadeo, quia circa Promontorium, ubi maxima ex parte naves pereunt, plus eſt argenti quam in ora Septentrionali. Aſſerunt tamen in montibus *Apalatcy* æris (quod aurum eſſe exiſtimo) venas eſſe. Creſcit iſtic etiam radix Chinæ, ad veneream luem curandam valde accommoda: atque innumera ſemina & herbæ, è quibus colores varii & elegantes ad tingendum & pingendum utiles fieri poſſent. Indigenæ certe iis uti norunt ad pelles variis coloribus inficiendas: luridi & fœdi coloris ſunt, eleganti tamen corporis ſymmetria præditi, magni, & nervoſi, Obſcœnas partes tegunt cervina pelle eleganter parata. Maxima illorum pars corpus, brachia, femora pingit elegantibus & concinnis figuris, quarum color numquam obliteratur: in ipſa enim cute ſunt impreſſæ notæ ſive puncturæ. Nigros habent capillos, & ad coxendices uſque promiſſos: in nodum tamen ſatis concinne colligere ſolent. Summi ſunt diſſimulatores & infidi, ſtrenui tamen & pugnaces, nec alia habent, præter arcum & ſagittas, arma. Arcus nervum ex cervino inteſtino aut corio adeo concinne parare norunt, ut Galli melius non poſſint, & variis coloribus inficiunt; pro mucrone ſagittarum ſunt piſcium dentes & lapides affabre adaptati. Adoleſcentes curſu, ſagittarum miſſione, & pilæ ludo exercentur, ut in figura 36. expreſſum & declaratum eſt. Venatione & piſcatione magnopere delectantur. Reges bella inter ſe gerunt aſſidua fere, nullique viro hoſti, quem capere poſſint, parcunt; deinde caput adimunt, ut cutem cum capillis habeant, qua domum reverſi trophæum ſtatuant, feminis & infantibus parcunt, perpetuoque apud ſe retinent & educant. Domum ex bello reverſi, omnes ſuos ſubditos convocant, & præ gaudio tres cōtinuos dies ac totidem noctes genio indulgent, ſaltant, & canunt. Totius ſui dominii vetulas capillos hoſtium manu tenentes ſaltare compellunt, atque ſaltando laudes Soli accinere, ipſi victoriam, ex hoſtibus relatam, acceptam ferentes. Nul-

Conſule figur. 41.

Conſule figur. 11.

Fig. 36.

Conſule fig. 15. & 16.

lam Dei habent notitiam, neque ullam religionem: quod illis conſpicuum eſt, veluti Sol & Luna, illis Deus eſt. Sacrificos habent quibus valde fidunt: magni enim ſunt magi, arioli, & dæmonum invocatores. Funguntur etiam ii ſacrifici Medicorum & Chirurgorum munere; eius rei cauſa ſemper circumferunt ſaccum herbis & medicamentis plenum, ad ægros curandos, qui plerumque venerea lue laborant: nam feminarum & virginum, quas Solis filias nuncupant, amoribus ſunt admodum deditiʒinter illos tamen etiam nonnulli ſodomitæ. Singuli ſingulas habent uxores, Regibus autem binas aut ternas habere
Conſule fig. 37. & 38. permiſſum: ſola tamen primum ducta colitur, & pro Regina agnoſcitur; quin & ſoli hujus primariæ liberi, in paternam hæreditatem atque auctoritatem ſuccedunt. Feminæ omnem rem domeſticam curant: cum ſunt gravidæ, viri earum conſuetudinem fugiunt, neque ulla re veſcuntur, quam illæ menſtruis
Expreſſi fig. 17. laborantes attigerint. Abundat tota ea regio Hermaphroditis, qui omnes pene labores ferre coguntur: imo etiam annonam viris ad bellum proficiſcentibus geſtare ſolent. Faciem illi pingunt, & crines tenuioribus atque delicatioribus avium plumis ſive villis implent, ut eo terribiliores appareant. Annona ſunt panis, mel, farina ex mayzo toſto & uſtulato confecta; ſic enim paratum diutius incorruptum permanet. Interdũ etiam piſces fumo exſiccatos geſtant. In annonæ penuria varias ſordes deglutiunt, etiam carbones & arenam in jam dictæ farinæ pultem ingerentes. Illis ad bellum proficiſcentibus, Rex primum obtinet locum manu baculum tenens, altera arcum, pendente ex humeris pharetra ſagittis plena. Reliqui eum ſequuntur arcu & ſagittis armati. In pugna magnos clamores edunt. Nihil moliũtur, quin prius aliquoties concilium cogant, & de ſingulis egregie deliberant ante quam quidquam ſtatuant. Sin-
Fig. 29. gulis diebus mane conveniunt, ut in icone 29. declaratum & expreſſum eſt. Mortuus Rex eadem ratione ſepelitur, quæ deſcribitur & exprimitur figura
Fig. 40. 40. Bis ſingulis annis Mayzum ſerunt, Martio videlicet & Iunio, atque id eodem loco. Tertio à ſatione menſe, maturum colligitur. Reliquis ſex menſibus tellus inculta manet. Elegantes etiam illas cucurbitas, quæ *citrulli* vulgo appellantur, & optimas fabas colunt. Terram non ſtercorant; ſed ſerere volentes, ignem plantis, per ſex illos menſes, quibus terra quievit, ſponte enatis, duntaxat
Vide fig. 21. injiciunt, easque adurunt. Terram fodiunt ligneo inſtrumento ligonis in modum fabrefacto, quo Gallica vineta coluntur: binaque ſemper mayzi grana ſimul injiciunt. Sementem facere volentibus, Rex alicui è ſuis imperat, omnes ſuos ſubditos ſingulis diebus convocet ad telluris culturam: interea Rex magnam potionis illius, cujus in figura 29. facta eſt mentio, quantitatem parare
Conſule figur. 22. jubet, quæ operis præbeatur. Collectum mayzum in publicas ædes infertur, ubi in ſingulos, pro eorum dignitate, diſtribuitur. Tantum vero duntaxat ſerunt, idque ſatis parce, quantum in ſex menſes ſuffecturum exiſtimant; nam ſingulis annis hieme in ſylvas ſecedunt, iſticque tres aut quatuor menſes hærent in tuguriolis ex palmarum ramis paratis, glande interea victitantes; piſcibus quos capiunt, oſtreis, cervorum quos venantur carnibus, Gallopavonibus
Fig. 24. & aliis animalibus. Omnia eorum edulia ſupra carbones uſtulata ſunt, hoc eſt, fumo

fumo quodammodo cocta & indurata. Libenter veſcuntur Crocodilorum carne, quæ profecto candida & nitida eſt: eamque ſæpius ediſſemus, niſi moſchum nimium redolere nobis viſa fuiſſet. Invaluit apud eos conſuetudo, ut ſi quis ægritudine corripiatur, venæ ſectionis, apud nos uſitatæ, loco, æger loco ubi dolorem ſentit, ab ipſorum medicis ſugatur, donec ſanguinem eliciant. *Fig. 20.* Grandes etiam ſunt feminæ, & alacres, ejuſdem cum viris coloris, quemadmodum & viri pictæ: recens tamen natæ, non ſunt adeo luridæ, ſed multo candidiores. Nam potiſſimum conciliatur is color olei cujuſdam, magni inter eos uſus inunctione, ob certos quoſdam ritus, quos intelligere non potui, tum etiam Solis, cui eorum corpora expoſita ſunt, ardoribus. Feminarum tanta eſt agilitas, ut magna etiam flumina natando ſuperare poſſint, licet liberos altero brachio ſuſtineant: imo in altiſſimas totius regionis arbores conſcendendo evadunt.

Cæterum ad Hiſtoriæ contextum nunc veniamus.

NARRATIO.

ADMONITVS ab Admirallio Caſtilionæo CAROLVS IX. Galliarum Rex, nimium procraſtinari auxilia, quæ paucis iis Gallis, in Florida ad obſequium ipſi Regi præſtandum à Ioanne Ribaldo relictis, mitti debebant; Admirallium naves ad eam rem neceſſarias expedire juſſit. Commendat interea Regi Admirallius nobilem virum Renatum de Laudonniere, aulæ ſuæ familiarem, virum ſane multarum rerum peritum, verum nõ tam artis militaris ſcientia atque uſu præditum quam rerum nauticarum: hunc Rex ſui Legati ſive Locum-tenentis titulo inſigniit; atque in eam expeditionem nummorum Francorum centum millia numerari curauit. Admirallius omni virtutum genere præditus, & Chriſtiana pietate inſignis, cupiens Regia negotia fideliter adminiſtrari, Laudonnierum ſui officii admonet, atque ut cum omni fide munere ſuo fungatur, hortatur; in primis autem viros deligat idoneos, atq; Deum metuentes, ſuæ profectionis comites, quandoquidem eam Religionem profiteretur. Iubet præterea conquirere quotquot poſſit homines in omnibus artibus egregie verſatos: quod ut facilius conſequatur, datum illi diploma regio ſigillo obſignatum.

Laudonnierus igitur ad Gratianum portum, Gallis *Hable de Grace* dictum, proficiſcitur, naves inſtrui curat, & ſumma diligentia viros rerum peritos (ut ipſi imperatum) per univerſum regnum conquirit, adeo ut ſerio affirmare poſſim, adveniſſe ad illam navigationem ſuſcipiendam, viros in omnibus artibus egregie verſatos: his ſeſe adjunxerunt plerique nobiles & antiquæ familiæ adoleſcentes, deſiderio quodam ſolummodo ducti exteras regiones luſtrandi, nam nullo ſtipendio, ſed propriis ſumtibus eam navigationem ſuſceperunt. Milites ex veteranis delecti, adeo ut nullus inter eos eſſet, qui ordines ducere non mereretur. Accerſiti ſunt Diepa bini Naucleri noſtræ ætatis nobiliſſimi, Michael le Vaſſeur, & Tribunus Thomas le Vaſſeur ejus frater, uterque Regis ſtipendiarius in Claſſe Regia: his ut me adjungerem, & ad Laudonnierum proficiſcerer imperatum. Advenientes ille humaniter & cum magnificis pollicitationibus excepit; verum non ignarus aulicos homines liberaliter promittere ſolere, ipſius mentem intelligere volui, & cujus rei gratia Rex, ut ipſe dicebat, meo obſequio uti vellet. Tum ille polliceri, mihi nullum obſequium niſi liberum imperandum, duntaxat meum munus futurum, cum in Indiam perveniremus, ut maritimæ orę delineationem conficerem, urbium ſitum, fluminum altitudinem & curſum obſervarem: præterea portus, Incolarum domicilia, & quidquid ſingulare in ea Provincia eſſet. Quod qua potui fide, præſtiti, uti ab Hiſpanorum inſigni perfidia & atroci crudelitate liber, & in Galliam redux ſuæ Majeſtati demonſtravi.

Viceſima ſecunda porro Aprilis anno 1564. tres noſtræ naves explicatis velis è Gratiano portu ſolverunt, recta ad Fortunatas inſulas, quas nauticum genus Canarias appellare ſolet, tendentes; deinde Tropico vicini, ad Antillas

inſulas

inſulas pervenimus, in quarum una, Dominica nuncupata, recentem aquam hauſimus, duobus tamen è noſtris deſideratis. Vlterius progreſſi, ad Floridæ, quam *Novam Franciam* appellant, maritimam oram, die Iouis viceſima ſecunda Iunii ſubſequentis appulimus.

Laudonnierus obſervato flumine, cui Ribaldus Maii cognomen dederat, maxime commodo ad naves admittendas, & in quo propugnaculum extrui poſſet, omnem diligentiam adhibuit ut id effectum redderet: atque navium maximam, cui nomen Elizabeth à Honfleur, & Ioannes Lucas præerat, in Galliam remiſit. Interea tota ora maritima obſita erat immenſa virorum & mulierum ignes excitantium frequentia, ut merito nobis ab ipſis cavendum exiſtimaremus: paulatim tamen animadvertimus, eos minime nobis nocere voluiſſe: quandoquidem multa amicitiæ & favoris indicia demonſtrarunt, rapti quodammodo in admirationem, cum noſtra corpora à ſuis mollitie & teneritate differre conſpicerent, & veſtes quibus tegebamur inuſitatas: eæ vero merces, quas à novis iſtis negotiatoribus accipiebamus, magna ex parte conſtabant ex rebus, quæ ab illis maximi æſtimantur, nempe quæcumque ad humani corporis alimentum & conſervationem ſpectant, ut mayzi grana toſta, aut in farinam redacta, aut ejus integras ſpicas: præterea lacertos & ſilveſtria animalia uſtulata, quæ illis ſunt deliciæ, tum varii generis radices; quarum nonnullæ edules, aliæ ad medicum uſum utiles. Denique cum animadverterent Gallis magis placere metalla & lapides, nonnulli etiam ea attulerunt. Porro Laudonnierus agnoſcens noſtrorum cupiditatem, vetuit capitis pœna conſtituta, ne quod commercium cum Indis aut commutatio fieret auri, argenti, aut lapillorum, quin omne in communem uſum conferretur.

Interea plerique Reguli noſtrum Præfectum adierunt, & ſignificarunt, ſe potentis cujuſdam Regis, cui nomen *Saturioua*, ſubditos eſſe, in cujus ditione eſſemus, cujuſq; domicilium nobis eſſet vicinum, qui in bellum ad aliquot hominum millia educere poſſet; ea de cauſa noſtri propugnaculi fabricam accelerandam duximus. Iſque adeo Rex *Saturioua*, ut providus, ſingulis diebus exploratores mittebat obſervatum quid ageremus; atque ab illis intelligens terram, ad quorundam funiculorum in triangulum extenſorum normam, effodi, ipſemet ſpectatum venire voluit: binis tamen ante ſuum adventum horis legatum præmiſit, cum centum & viginti viris robuſtis, arcus, ſagittas, clavas & jacula geſtantibus, & onuſtis more Indico, ſuis divitiis, ut varii generis pennis, torquibus ex ſelecto concharum genere, armillis è piſcium dentibus, cingulis è ſphærulis argenteis oblongæ & rotundæ formæ conſtantibus, atque multis unionibus ad crura alligatis; ſed & plerique è cruribus ſuſpenderant planos orbes cum aureos, tum argenteos & æreos, ut gradiendo ſonitum excitarent inſtar nolularum ad crura appenſarum. Legatus ſuo munere perfunctus, ſecundum colliculum quendam è palmarum, lauri, lẽtiſci & aliarum odoriferarum arborum ramis tabernacula extrui juſſit, ad Regem ſub tectum recipiendum. Cæterum ex eo colliculo poterat Rex videre quidquid intra noſtrum vallum fieret, & pauca tentoria, militumque impedimenta, quæ ſub tectum nondum

inferri potuerant: quia propugnaculi ſtructuram abſolvere præſtabat, quam extruendis tuguriis operam dare, quæ majore deinde cum ocio ædificari poterant.

Laudonnierus audita legatione ſuos ita diſponit, ut (ſi pugnandum foret) ſtrenue rem geſturos confideret, tametſi ſclopetarii nihil haberent quo ſe tegere poſſent. Porro quia in prima Navigatione, cum Ribaldus in eundem locum appelleret, Laudonnierus eundem Regem viderat, & quædam vocabula illius idiomatis didicerat, quibusque ceremoniis excipi ſoleant, callebat; ut etiam è numero militum unus vir alacris & acris ingenii, qui Ribaldum in ea navigatione comitatus fuerat; tunc autem Centurio erat Laudonnieri, cenſuit neminem ad Regis tabernacula accedere debere præter ipſum, Dn. d'Ottigny ipſius Legatum, & Centurionem la Caille.

Regem comitabantur ſeptingenti vel octingenti viri venuſti, validi & robuſti, agiles, & ad curſum maxime exercitati, ſua arma geſtantes, ut ad bellum profecturi ſolent; ante ipſum gradiebantur quinquaginta adoleſcentes, manu jaculum aut pilum tenentes: ipſi viciniores erant viginti tibicines, ſilveſtre quidpiam ſine harmonia vel concentu ſonantes, ſed dũtaxat qua maxime poterant contentione tibias inflantes; quæ nihil aliud ſunt quam harundines admodum craſſæ, bina foramina habentes, ſupernum qua inflant, & infernum qua flatus egreditur, ut in organorum tubulis ſive fiſtulis. Dextrum ipſius latus claudebat Necromanticus, ſiniſtrum primarius ejus Cõſiliarius: ſine his enim duobus nullam rem aggreditur. Solus locum ingreſſus qui paratus fuerat, conſedit Indico more, hoc eſt ſumma tellure, ſimiæ aut alterius animalis inſtar. Tũ conjectis circumquaq; oculis, & obſervatis noſtris exiguis turmis ordine diſpoſitis, in ſuum tabernaculũ accerſi juſſit Laudonnierum & Ottignium ejus Legatum, atque ad illos longam orationem habuit; quam niſi ex parte intellexerunt; ſed tandem percontatus eſt, quinam eſſemus, cur potius ipſius dominium ingreſſi, quam ullius alterius, & quodnam eſſet noſtrum inſtitutum. Ei reſpondit Laudonnierus per Centurionem Caillium, quem ſupra diximus utcumque callere ejus regionis idioma, ſe à potentiſſimo quodam Rege miſſum, qui Franciæ Rex appellaretur, ut ipſum ad fœdus cum eo paciſcendum invitaret, quo ipſi & ipſius confœderatis amicus eſſet, ipſius vero hoſtibus hoſtis: quod illi admodum gratum fuit. Tum munera utrinq; in amicitiæ & perpetui fœderis pignus data. His rebus ita peractis, Rex propius ad nos acceſſit, noſtraq; arma admiratus eſt, præſertim pyxides tormentarias; ad noſtri propugnaculi foſſas uſque progreſſus, illud foris & intus emenſus eſt: è foſſa autem terram exportari & vallum inſtrui conſpiciens, interrogavit in quem uſum iſta fierent. Reſponſum tulit, ædes extrui quæ nos omnes exciperent, atque in iis multa tuguria ædificanda; quod admiratus, inquit ſe cupere, ut brevi iſtæ ædes abſolverentur. Eam ob cauſam à noſtris rogatus, ut aliquot è ſuis nobis commodaret, qui noſtris in ſtruendo auxilio eſſent: annuit, & ilico octoginta robuſtiſſimos & laboribus aſſuetos miſit, quorũ opera magnopere levati ſumus, noſtrumq; propugnaculum citius extructum, & tuguria abſoluta; ille vero à nobis diſceſſit.

Dum

Dum hæc geruntur, nemo ex noſtris non admovebat manum operi, nobiles, milites, opifices, nautæ & alii, ut ſe adverſus hoſtem munirent, & contra aeris injurias tuerentur, ſinguli ſibi pollicentes (facta ex his quæ donata & permutatione adquiſita fuerant æſtimatione) brevi ſe locupletes futuros.

Laudonnierus extructa jam arce, ipſiusque ædibus, & magno illo ædificio, in quod convecta annona, & reliqua ad bellum neceſſaria, abſolutis, ſingulorum in cibo & potu dimenſum contrahere cœpit, ſic vt poſt tres hebdomadas, ſingulis in diem vnum vitrum ſicera dimidia ex parte aqua diluta plenum daretur: quod ad cibos attinet, quorũ in novo hoc orbe ſpes facta, ne gry quidem, ac niſi incolæ ſingulis diebus nobis ſuos cibos communicaſſent, non dubium eſt quin noſtrum aliqui fame periiſſent; ij præſertim qui in venationibus pyxide tormentaria uti non norant.

Interea Laudonnierus ſuo Fabrorum præfecto *Ioanni des Hayes Diepenſi* mandat, ut bina nauigiola conficiat. quorum carina, quantum memini, triginta quinque vel quadraginta pedes longa eſſet, quibus altius flumina ſubire, atque ſecundum maris littus nauigare poſſet: hæc ſatis brevi temporis ſpatio propemodum confecta reddidit.

Cæterum Nobiles viri, qui animi ſolum gratia in hunc novum orbem trajecerant ex Gallia, magna cum pompa inſtructi, mirũ in modum angebantur, conſpicientes ſe nil eorum iſtic invenire, quæ ſibi polliciti erant, & animo conceperant, ſic ut multorum cottidie exaudirentur querimoniæ. Altera ex parte Laudonnierus nimium facilis, plane poſſidebatur à tribus aut quatuor gnatonibus, atque milites contemnebat, eos præſertim quos in precio habere debebat: quodque pejus eſt multum ipſi indignabantur plerique ex his, qui ſecundum puriorem Evangelii doctrinam vivere ſe velle profitebantur, quod verbi divini Miniſtro deſtituerentur. Verum ad Regem Saturioua revertamur.

Is legatos ad Laudonnierum mittit, non modo ad confirmandum fœdus inter ipſos initum, verum etiam vt pacta fœdera ſervaret, videlicet ut ſeamicorum ipſius amicum & hoſtium hoſtem re ipſa declararet: profectionem enim ſe aduerſus ſuos hoſtes inſtituere. Laudonnierus ſatis ambiguum Legatis reſponſum dedit, hac occaſione: compertum enim jam nobis erat ex longa navigatione per maiorem fluminis *Maii* alveum, noſtri vicini *Satur ioua* hoſtem ipſo longe eſſe potentiorem, imo illius amicitiam nobis eſſe neceſſariam, quia ex noſtra arce ad montes *Apalatcy* proficiſci volentibus (hos autem montes invenire cupiebamus, quod auri atque argenti à nobis redemti maximam partem inde advectam eſſe intelligebamus) itineris potior pars per ejus ditionem erat facienda: huc accedebat ex noſtris aliquos apud eum eſſe, qui ad noſtram arcem magnum auri & argenti pondus jam miſerant, fœdus cum illo pangentes, cum Laudonniero mandatum eſſet, vt ijſdem conditionibus, quibus ſupra, cum magno Rege *Outina* fœdus iniret.

Rex *Satur ioua* accepto adeo frigido reſponſo, ad noſtrum propugnaculum, cui nomen *Carolinæ* inditum, ipſemet advenit cum mille ducentis aut

quingentis viris, atque admiratus locum adeo eſſe immutatum, vt foſſam amplius tranſilire non poſſet, ſed anguſtum admodum eſſe ad arcem aditum, eo ſe contulit atque Centurionem invenit Caillium, qui illi Regii Legati nomine denuntiauit, colloquii gratia, arcem non licere ingredi niſi ſuis ablegatis, vel cũ viginti duntaxat delectis. Is attonitus illo mandato, diſſimulat, atque cum viginti ex ſuis arcem ingreditur: ingreſſo omnia demonſtrantur. Tympanorum vero & tubarum ſtrepitu, atque æneorum tormentorum, quæ ipſo præſente exploſa fuerunt, tonitru exterrito admodum, nunciatur omnes ſuos nimio metu diffugiſſe, quod illi credibile fuit: quãdoquidem ipſe procul à nobis eſſe voluiſſet. Inde factum, ut noſtrum nomẽ per vicinas provincias eſſet valde celebre, & majora vero de nobis crederentur. Tandem Laudonnierum admonet fidei datæ, ſuum exercitum iam eſſe paratum ad profectionem, annonam in promptu eſſe, ſubditos Reges etiam adveniſſe: ſed cum nihil obtinere poſſet, ſolus cum ſuis in iſtam expeditionem profectus eſt.

Dum hæc geruntur, Laudonnierus alteram nauem, cui præerat Petrus Centurio, in Galliam remittit. Nunc Lectorem rogatum volo ut ſecum reputet, quam multi aſpirarent ad reditum in patriam. Inter reliquos Nobilis adoleſcens Marillac nomine, adeo abitum expetebat, ut Laudonnieto polliceretur (ſi ipſi litterarum faſciculum in Galliam deferendum traderet) indicaturum ſe quæ ad ejus vitam & nominis famam maxime pertinerent; ea tamen conditione ne aperiret, ante quam nauem conſcenderet, Laudonnierus nimium credulus ipſi pollicetur.

Iam dies aderat quo Nauis ſolvere debebat, nobilis quidam cui nomen Dn. de Gievre ex honeſta familia natus, comis, Deum metuens, & omnibus charus, quinq; aut ſex horis ante quam accuſatio traderetur Laudonniero, admonetur vt ſecedat, Marillacum enim aliquid ſiniſtri aduerſus ipſum moliri: obſequitur, & in ſiluam ſe abdit, vt Laudonnieri iracundiam effugiat, cui Marillacus infames quoſdam ut aſſerebat libellos Gievræi manu ſcriptos tradiderat in hanc ſententiam. Laudonnierum centum illa Francorum millia ipſi à Rege data male collocaſſe, quandoquidem nullam annonam in hunc orbem intuliſſet: nullum verbi Dei miniſtrum (vt ab Admirallio illi imperatum) adduxiſſe: nimio fauore amplecti blaterones & loquaculos, eos vero qui virtute prædití eſſent, contemnere: & pleraque alia quæ nunc non ſuccurrunt.

Multis bonis viris moleſtum erat Gievræi exilium, omnes tamen muſſitabant: paulatim tamen nonnulli indigne ferebant tam maligne cibum præberi, & ſingulos nimio & difficili labore fatigari: præſertim Nobiles quidam qui ipſorum maiorem rationem habendam cenſebant. Tandem dum alter alteri ſuam moleſtiam exponit, clandeſtina ineunt conſilia quinq; aut ſex initio: quibus deinde alii acceſſerunt ad triceſimum vſq; numerũ ante quam aliquid molirentur. Inter eos autem qui primi inierunt conſilia, vnus erat Laudonniero adprime familiaris: certiſſimum etiam eſt ſelectiſſimos quoſque milites & Nobiles conſiliorum participes, à quibus reliqui perſuaſi, iis exceptis quos ut minus vafros contempſerunt & ex ſuo cœtu excluſerunt.

Dum

Dum commodum videtur, Centurionem Caillium adeunt, cui nondum ſuum conſilium aperuerant, quod omnes illum noſſent virum integrum, quique ſummam integritatem à ſingulis in muneris adminiſtratione requireret, eum obteſtantur, ut quandoquidem ſit primi pili Centurio, omnium cauſam tuendam in ſe recipiat, & eorum querimonias, quas ſcripto comprehenderant, Laudonniero tradere non gravetur. Caillius pro ſuo officio operam pollicetur: & cum eum ad hanc rem conficiendam delegerint, illam Laudonniero ipſorum nomine declaraturum, licet ille etiam indigne ferre velit, imo adjunctum etiam eſſet ipſius vitæ periculum: quia ipſorum petitionem æquam cenſebat. Poſtridie, qui fuit dies Domino ſacer, mane Laudonieri ædes adit, eumque omnium nomine orat, vt in forum prodire velit: ſe enim quædam habere ipſi communicanda. Omnibus in forum convocatis, Laudonnierus cum ſuo Legato Ottignio advenit: facto autem ſilentio, Centurio Caillius huiuſmodi orationem habuit:

Domine, quotquot huc convenimus, ante omnia proteſtamur nos te agnoſcere Legatum Regis noſtri Domini in hac provincia ſupremi, in qua ipſius nomine limes eſt poſitus, tibique obſequentes futuros in hac tam honeſta expeditione, etiam ſi Maieſtatis ejus gratia, vita nobis ſit in tuo conſpectu profundenda, ut jam periculum facere potuiſti in eorum magna parte qui hic adſunt, inter quos plerique ſunt Nobiles viri, qui neglectis ſuis commoditatibus voluntarie & ſuis ſumtibus te ſequuti ſunt. Primum igitur ea qua decet reverentia admonent, ſingulis, dum adhuc in Gallia eſſent, fidem datam fuiſſe, hîc annonam in integrum annum reperturos, atque nova ſubſidia recentesque copias, antequam ea abſumeretur, accepturos: verum tantum abeſt, vt alimenta in id tempus ſuffecerint, ut vix ad menſem fuerint ſatis. Deinde Indi ſegnius adferre ea incipiunt; quia animadvertunt maxime noſtrorum parti merces deficere: neque enim tibi ignotum eſt, barbaros hos homines nihil cōferre, niſi contra aliquid accipiant: tandem cum intelligent omnibus deeſſe munera, & milites ab illis alimenta verberibus extorquere volent (ut jam nonnulli facere cœperunt magno cum prudentiorum dolore) tum vicina loca deſerent, eaque ratione iis commodis deſtituemur, quibus hactenus uſi ſumus: quæ ſi adveniant, non poſſumus non extremam famem expectare. His igitur difficultatibus ut occurratur, te ſummopere orant, tertiam navem è Gallia huc advectam, atque etiamnum in hoc flumine exiſtentem, reparare & inſtruere cures, cui eos viros quos idoneos judicabis imponas, atque ableges in nouam Hiſpaniam, huic prouinciæ vicinam, ad annonam pecuniis aut alia ratione cōparandā, non dubitantes quin hac ratione nobis ſuccurri poſſit: ſi tamen commodiores rationes proferanrur, eas libenter amplexuros. Hæc fuit Orationis ſumma, quæ in eo conventu fuit habita.

Ad hæc paucis reſpondit Laudonnierus. Ab ipſis ſuarum actionum rationes non eſſe petendas: ad annonam quod attinet, ejus ſe rationem habiturum, aliquot adhuc dolia ſibi ſupereſſe mercibus plena, quæ in commune conferet, vt illarum commutatione alimenta ab Indis redimi queant: in Hi-

ſpaniam novam ut mittat, ſe nunquam id effęcturum, ſed potius bina navigiola pridem inchoata daturum, ut maris littus legant ad ducenta aut trecenta miliaria, qua ratione eos annonam comparaturos plus quam opus eſſet. Sic dimiſſa fuit concio.

Laudonnierus interea ablegabat quoſdam qui remotiora loca obſervarent, præſertim ea, quæ magno Regi *Outina* noſtri vicini hoſti proximiora erant, à quo curantibus nonnullis noſtris Gallis, qui apud ipſum verſabantur, multum auri & argenti in noſtram arcem mittebatur, vniones prætere a & alia exquiſita: ſed non cuilibet concedebatur hæc prouincia: quam ob cauſam in invidia erant apud pleroſque, qui illos brevi diteſcere æſtimabant. Et licet Laudonnierus polliceretur omnia in commune diſtribuenda, multi tamen iniquo ferebant animo. Nam quidam nomine *La Roche-ferriere*, qui verboſus cum eſſet, jactabat ſe omnium rerum ſcientiam habere, tali pollebat auctoritate apud Laudonnierum, ut ejus conſilium pro oraculo haberet: negare ſane non velim quin dotibus ingenii præditus eſſet, pręſertim induſtrius erat in nova iſta conquiſitione, & diu verſatus cum Rege *Outina* negotiabaturque ęa quæ in arcem mittebantur, unde illi ſubinde remittebantur quinque aut ſex ſclopetarii, qui permutabantur pro occaſione, aut neceſſitate quam illorum haberent ipſe aut *Outina*. Vt brevibus abſolvam, tantum valuit induſtria, ut amicitiam contraheret cum hoſtibus *Outina*, montibus vicinis; eaque de cauſa Laudonniero ſcripſit, ut ſibi ſucceſſorem mitteret, ſe enim ſeria quædam habere ipſi communicanda, ad Regis obſequium, omniumque honorem & vtilitatem pertinentia.

His auditis Laudonnierus Roche-ferrierio ſucceſſorem ſtatim mittit, & ille ad arcem rediit, iſtic refert certo ſe reſciviſſe, omne aurum & argentũ in arcem miſſum, ex certis quibuſdam montibus Apalatcy cognominatis provenire, Indos enim à quibus ipſe accepiſſet, non aliunde habuiſſe: nam quidquid hactenus poſſederant, id omne in bello adverſus tres Reges *Potanou*, *Onatheaqua* & *Ouſtaca* adquiſiviſſe, qui potentem iſtum Regem *Outinam* impediebant, quominus mõtes illos ſubjugare poſſet. Attulit præterea Roche-ferrierius illorum montium fodinæ fragmentum continens ſatis multum auri & æris. Petit igitur à Laudonniero facultatem diſcedendi, periculum enim facturum tam longinquæ profectionis, ut ſperet ad tres iſtos reges pervenire poſſe, & illorum aulam obſervare, atque impetrata à Laudonniero licentia diſceſſit.

Profecto Roche-ferrierio, triginta illi, qui Demonſtrationis ſive ſupplicis libelli ſupra memorati auctores fuerant, omnia turbant in arce, quam occupare conſtituunt, ut rebus aliter provideant: atque vt commodiore ordine omnia procedant, duces ſibi deligunt Dominum de Fourneaux inſignem hypocritam, & impenſe avarum, Stephanum Genuenſem Italum, & tertium nomine La Croix, militum autem Centurionem, Vaſconem quendam appellatum Seignore. Porro illi in ſuam ſententiam pertraxerant omnes qui munere fungebantur in exercitu, tribus exceptis, Ottignio Legato, Domino d'Arlac nobili Helvetio, noſtro ſignifero, & Centurione Caillio. Reliqui milites

adeo

adeo ab illis corrupti ut ſex & ſexaginta iique ſelectiſſimi & veterani ſubſcriberent. Me etiam corrumpere tentarunt per meos quoſdam intimos familiares, exhibito eorum catalogo qui nomina dederant, dira etiam minitantes his qui tantundem non facerent. Verum illos rogavi, ne mihi moleſti eſſent: profiteri enim me, illis adverſum fore in hoc negotio. Laudonnierus quidem intellexerat aliquam conſpirationem fieri, ſed auctores ignorabat: Ottignio etiam quædam fuerant indicata, ſed ſubobſcure. Veſpere præcedente noctem qua conjurati ſua conſilia exequi ſtatuerant, admoneor à nobili Nortmanno, cui cognomen de Pompierre, ſequente nocte Conjuratos Caillium Centurionem, cum quo commune habebam hoſpitium, jugulare decreviſſe, itaque ſi vita mihi cara eſſet, alio me conferrem: cum vero propter temporis anguſtiam mihi non eſſet integrum alio proficiſci, domum redeo, & Caillio ſignifico quæ intellexeram. Ille illico per poſticum ſe proripit & in ſilvam ſe it abditum: ego, Dei protectioni me commendans, rei eventum expectandum cenſeo.

Sub mediam noctem Fourneauxius Conjuratorum dux, thorace ferreo indutus & pyxidem tormentariam manu tenens, cum viginti pyxidariis ad Laudonnieri ædes proficiſcitur, quas aperiri jubet, recta ad ipſius lectum profectus, pyxidem illius gutturi admovet, & fœdiſſimis conviciis illum proſcindens, claves armamentarii & annonæ petit, omnia illi arma adimit, & catena pedibus injecta captivum in navim quæ in flumine ante arcem erat abduci jubet, additis duobus militibus qui ipſum obſervarent. Eadem hora alter Croixius armatus decem & quinq; pyxidariis ipſum comitantibus ad Ottignii Legati ædes proficiſcitur, quem nulla alia re offenderunt, niſi quod arma ipſi ademerint, & conſtituta capitis pœna vetuerint ante lucem domo egredi, quod pollicitus eſt. Tantundem factum eſt à Stephano Genuenſi in ædibus Arlacii noſtri Anteſignani, qui idem iuramentum præſtare coactus eſt. Eodē tempore Centurio Seignore ſtipatus reliqua militum qui nomina dederant multitudine, ad Caillium proficiſcitur ea mēte ut eum neci traderet, quia aperte ipſorum conatibus ſe oppoſuerat, dum ei conſilia ſua aperirent: ſed vbiq; quæſitus, neq; ipſe, neque ejus germani fratres ſunt reperti: omnia autem eorum arma auferuntur cum meis, mandato etiam facto ut captivus in ſtationem militum duceret: ſed proborum quorundam virorum nobilium opera, qui hujus conjurationis minime conſcii, ab aliis ſubornati fuerant, mihi reſtituta ſunt arma, ea tamen conditione ne ante lucem ædibus excederem, quod ſum pollicitus. Deinde reliquorum militum, qui nomina non dederant, domos adiens omnib. arma adimit, atque ea ratione rerum potiuntur.

Conjecto in vincula, ut diximus, Laudonniero, Ottignio Legato & ſignifero Arlacio inermibus & domi concluſis, Centurione Caillio per ſilvas vago & cum feris verſante, & reliquis probis ſpoliatis armis, conjurati omnium rerum ordinem pervertunt, Laudōnieri etiam nomine & auctoritate abutentes: atque quo facilius ad ſuæ deliberationis ſcopum peruenirent, Fourneauxius Conjuratorum dux diploma ſive licentiam in membranis deſcribi curaverat Laudonnieri nomine, qua ipſe ut Regis Galliæ Legatus, poteſtatem con-

cedit maxime ſuorum parti (quandoquidem annonæ penuria cum ſuis laboraret) in novam Hiſpaniam proficiſcendi, alimentorum conquirendorũ cauſa, omnes præfectos, centuriones, & reliquos munere aliquo publico fungentes ſub auſpiciis Regis Hiſpaniæ orans, vt eis in hac re auxilio eſſe velint. Hoc diploma ab ipſis conſcriptum Laudonnierus ſubſignare cogitur: bina illa deinde navigiola majora quorum ante memini, ex armamentario regio omnib. neceſſariis rebus & annona inſtruunt; deligunt naucleros & nautas ad profectionem in Nouam Hiſpaniam ſuſcipiendam. Vni navi præficiunt ſenẽ Nauclerum Michaelem Vaſorium Diepenſem, alteri alium Nauclerũ Trenchant appellatum: atque ſic inſtructi à Carolina ſolverunt VIII. Decembris, timidos & tirones nos nuncupantes, & minitantes, niſi cum omnes opulenti ex Hiſpania noua redirent, illos in arcem recipere vellemus, pedibus nos protrituros.

Cæterum dum hi latrociniis opes quærunt, de Roche-ferrierio agemus, qui ad montes profectus ſua prudentia & diligentia effecit, ut familiarem ſe redderet tribus ſupra nominatis Regibus, Regis *Outina* (cum quo diu verſatus erat) infenſiſſimis hoſtibus. Ille attonitus conſpectu ordinis & opulentiæ ipſorum, miſit in arcem Laudonniero multa munera ab iſtis Regibus illi donata: inter quæ fuerunt plani orbes aurei & argentei amplitudine mediocris lancis, quibus pectus & dorſum tegere ſolent in bellum profecturi, multum auri infecti cui admixtum æs, & argenti non bene excocti: miſit præterea pharetras ſelectiſſimis pellibus tectas, & omnes earum ſagittas cuſpide aurea armatas, plurima aulea ex pennis confecta, & ſcirpis diverſo colore infectis ſumma arte cõtexta: lapides item virides & cæruleos, quos nõnulli ſmaragdos & ſapphiros eſſe cenſebant, cunei modo efformatos, ſecuris vicem ad ligna cædenda illis præbentes. Laudonnierus contra miſit quæ potuit, veluti craſſiores pannos criſpatos, ſecures & ſerras aliquot, aliasque viles Lutetianas merces, quibus abunde ſibi ſatisfactum putarunt.

His commerciis magnam ſibi invidiam conciliavit Roche-ferrierius apud Regem *Outina*, præſertim vero apud omnes ejus ſubditos, qui tale in ipſum odium conceperunt, vt ne nominis quidem ipſius appellationem audire ſuſtinerent, ſed illum *Timogua*, hoc eſt, hoſtem vocarent. Verum Roche-ferrierius, aliorum Regum amicitiam retinens, alia via in noſtram arcem redire poterat; quia multi rivi in majorem fluminis Maii alveum ſe exonerant quindecim vel ſedecim infra *Outina* Regis habitationem miliaribus. Non abs re porro me facturum arbitror ſi militis cujuſdam meminero qui Roche-ferrierii exemplo motus, etiam à Laudonniero facultatem poſtulauit commercia agendi alio loco: impetrat quidem, ſed etiam admonetur, vt quid moliretur probe antea conſideret: nam fieri poſſe ut cum vitæ ipſius diſpendio ſuſceptum negotium proſequatur, quod eventu comprobatum eſt. Impetrata igitur poteſtate, adoleſcens hic miles robuſtus & agilis ab ineunte ætate in Admirallii Caſtilionei aula educatus, cui nomen Petro Gambie, ſolus ſine miniſtro ab arce noſtra diſcedit onuſtus vilibus quibuſdam mercibus, & ſua pyxide tormentaria, per provinciam negotiari cœpit. Is adeo fortunatus fuit in ſua negotiatione, vt etiam

in incolas imperiũ quodammodo exerceret, quos ſubinde cogebat ad nos ſua mandata perferre: tandem ad Regulum quendam *Adelano* cujus domicilium in parva fluviali inſula, profectus, tantam cum illo familiaritatem contraxit, ut ipſi fieret cariſſimus, atque adeo filiã illi donaret. Tanto honore affectus, accumulandis opibus ſtudebat tamen: imo Rege abſente cum ille omnia gubernaret, ipſius Regis ſubditos adeo tyrannice habebat, ut eos quærere cogeret, quæ invenire non poterant, & tandem omnibus inviſus redderetur: quia vero Regi erat charus, nemo mutire audebat. Accidit ut ille à Rege licentiam poſtularet ad noſtram arcem proficiſcendi, iam enim duodecim lunis amicos ſibi non eſſe conſpectos. Facultatem impetrat ea conditione, ut intra paucos dies redeat: collectis quas adquiſierat opibus, & in canoam ſiue lintrem qui illi traditus fuerat, impoſitis, & binis Indis additis qui eum veherent, Regi valedicit. In itinere, alter comitum memoria repetens ſe aliquando fuſtibus fuiſſe ab hoc milite caſtigatum, & invitante illum præda, talem occaſionem cum vindictæ tum prædæ minime negligendam eſſe judicat: quapropter dum miles ſecurus ſe inclinat, arrepta quæ propter militem jacebat ſecuri, caput illi confringit, & ſublatis ejus opibus, comite alio Indo fugit, ut in poſtrema figura poſtea videre licebit.

Nunc redeundum ad Laudonnieri liberationem & narrationem eorum quæ acciderunt poſt noſtrorum abitum, qui etiam abſtulerant quædã doliola generoſi vini Hiſpanici, quod afferente Laudonniero & ejus famula, in ægrorum vſum adſervabatur. Centurio Caillius per ſyluas errans, per iuniorem fratrem quo adminiſtro mittebantur illi quæ poterant, intelligẽs eorum abitum qui mortem ipſi machinati erant, in arcẽ ſubito rediit, & reliquis animum addens, adhortatus eſt ad arma denuo ſumenda, (nam qui abierant illorũ non fuerant indigi) & Laudonnierus è naui accerſitus, Ottignius Legatus & Arlacius Signifer, ex ſuis ædibus cum omni ſecuritate dimiſſi. Delectus fit, & novo ſacramento omnes aſtringuntur, cum ad Regis obſequium, tum ad hoſtibus, in quorum numero habiti ſunt qui adeo ſceleſte nos contempſerant, reſiſtendum. Inſtituti quatuor præfecti qui totum cœtum in quatuor manipulos diſtribuerent, & ita ſinguli ad ſuum munus redierunt.

Dum hæc geruntur, venit in noſtram arcem adoleſcens nobilis Pictavienſis, dictus Dn. *Groutaut* à Roche-ferrierio miſſus, cui ſemper comes fuerat etiam in profectione ad tres Reges vicinos montibus *Apalatcy*. Is Laudonniero retulit tertium ex his Regibus magno amore proſequi Chriſtianos, eum eſſe potentem & opulentum, habereque ſemper parata ad bellum quatuor hominum millia, petiiſſe à Roche-ferrierio, vt ſe ad Laudonnierum mitteret ſignificatum, perpetuum fœdus (ſi volet) inter vtrumque futurum, cumque intelligat eos aurum expetere, quibusvis conditionibus aſtricturum ſuam fidem, ut ſi centum pyxidarios ab eo accipiat, ſe certo ſcire eos redditurum victores & dominos montium *Apalatcy*. Hos illi curaturum pollicitus erat Roche-ferrierius, ignarus turbarum quæ in arce fuerant excitatæ: nec dubitandũ eſt quin (niſi tam turpiter deſerti fuiſſemus à potiore noſtrorum parte)

dein

periculum ejus rei feciſſemus, cognito tanto hujus Regis erga nos affectu. Sed Laudonnierus apud ſe reputans, ſi centum ex noſtris ablegaret, neminem reliquum fore qui arcem tueri poſſet; eam expeditionem diſtulit, donec nova è Gallia ad venirent auxilia: licet non admodum fideret Indis, præſertim ab eo tempore quo ab Hiſpanis fuit admonitus: de quibus non abs re videor mentionem hic facturus, ut ex Floridę Hiſtoria à Laudonniero conſcripta & evulgata, colligere licuit.

Dum, inquit, Indi me inviſunt, & ſemper aliqua munera adferunt, veluti piſces, ceruos, galli-pauos, leopardos, vrſorum catellos, atque alia pro regionis quam incolebant natura: illos contra remunerabar ſecuriculis, cultris, vitreis globulis precariis, pectinibus & ſpeculis. Bini Indi quodam die ſalutatum me adveniũt ſui Regis *Marracou* appellati nomine, qui habitabat circiter quadraginta miliaria à noſtra arce, Meridiem verſus, mihique ſignificarunt, in Regis *Onachaquara* familia quendam verſari cui nomen *Barbatus*; & apud Regem *Mathiaca* alium eſſe, cujus nomen ignorabant, vtrumque exterum: in mentem mihi ſubiit, forſitan Chriſtianos eſſe, ea de cauſa omnes vicinos Reges rogatum miſi, vt ſi quem Chriſtianum in ſuis dominiis haberent, ad me perducerent, me duplum repenſurum. Illi cum muneribus capiantur, tam diligentem nauarunt operam, vt bini illi, quorum facta mentio, ad me in arcem venirent. Nudi erant, capitiſque comam ad poplites vſque propendentem habebãt, Indorum more; Hiſpani quidẽ natione, ad mores tamẽ indigenarũ ejus regionis ita aſſueti, vt initio noſtra conſuetudo illis peregrina videretur. Habito cum illis colloquio, veſtes illis dedi, & comam adimere juſſi, quam negligere noluerunt, ſed ſindone involverunt, dicentes ſe in patriam referre velle, tamquam teſtimonium earum ærumnarum quas in India perpeſſi eſſent. In vnius capillis inventum eſt auri pauxillum reconditum, quod circiter viginti quinq; coronatos pendebat, quo me donavit. Sciſcitanti de locis quæ peragraſſent, & qua ratione in eam provinciam perueniſſent, reſponderunt, quindecim jam annos elapſos, quod tres naues, in quarum una ipſi vehebantur, circa *Calos* periiſſent, ad ſcopulos vulgo *Martyres* dictos alliſæ, Regemque *Calos*, maximam divitiarum qua hæ naues onuſtæ erant partem, ad ſe recepiſſe, tali etiam adhibita cura, vt maxima virorum pars ſalva fuerit, atque plurimæ mulieres; è quarum numero tres aut quatuor erant nobiles, connubio junctæ, quæ cum ſuis liberis etiamnum apud eundem Regem *Calos* vivebant. Interrogati quis eſſet hic Rex, reſponderũt formoſiſſimum & maximum eſſe totius regionis Indum, ſtrenuum admodum, & potentem. Significarunt præterea, magnam auri & argenti vim poſſidere, eamque pago quodam in ſcrobe reconditam habere, humana altitudine non minore, nec minus lata quã dolium: ad quam ſi cum centum pyxidariis proficiſci poſſem, ſe curaturos vt omnes hæ divitię in meam poteſtatem venirent, præter eas quas ab indigenis qui opulenti erant, adquirere poſſem. Significarunt præterea, mulieres cum ad ſaltationes conveniunt, è cingulis propendentes habere planas auri maſſas, orbibus non minores; eaſq; tanta quantitate, ut pondere fatigatæ incommode ſaltare poſſent: viros itidem

dem ſimilibus eſſe onuſtos. Maximam earum divitiarum partem (ex ipſorum opinione) ex Hiſpanicis navibus, quæ ad illud fretum plerumque allidebantur, provenire: reliquam autem ex commercio, quod huic Regi cum aliis vicinis Regibus erat. Ipſum vero apud ſubditos magna in veneratione eſſe, ab eo perſuaſos, ipſius magicis incantationibus fieri, vt tellus affatim neceſſaria produceret: quoque facilius id illis perſuaderet, cum duobus aut tribus ex fidiſſimis in ædes quaſdam ſecedebat, in quibus ſuas incantationes exercebat, Regiſque mandato ſtatim occidi, quiſquis curioſius, quid agerent, obſeruare vellet. Imo addebant, ſingulis annis tempore meſſis barbarum hunc Regem hominem ſacrificare, qui ejus rei cauſa expreſſe adſervabatur, & deligebatur ex Hiſpanorum, qui in hoc freto naufragium patiebantur, numero. Alter illorum etiam retulit, ſe diu apud illum tabellarii munere functum: & ſæpius ab eo ablegatum ad Regem quendam, nomine *Oathkaqua*, quatuor aut quinque dierum itinere à *Calos* diſtantem, qui illi ſemper fidus amicus fuerat. Medio autem itinere inſulam eſſe magno in lacu dulcis aquæ *Sarrope* nuncupato, & quinque miliaria patente ſitam, multis fructuum generibus vberem, dactylis præſertim in palmis naſcentibus, quorum magnum eſt commercium, ſed majus adhuc radicis cuiuſdam, ex qua fit farina, ad panem pinſendum adeo idonea, vt præſtantiſſimus panis ex ea conficiatur: quindecimque in circuitu miliaribus totam regionem ab ea educari. Hinc fieri, ut ejus Inſulæ inquilini à vicinis magnas adquirant opes: nam ab ipſis niſi magno precio non redimitur ea radix. Præterea totius illius regionis maxime ſtrenui exiſtimantur, vt re ipſa declararunt, cum Rex *Calos* affinitate cum *Oathkaqua* contracta, ejus filia, quæ illi deſponſata erat, ſpoliatus fuit. Rem vero ſic geſtam narrabat.

Oathkaqua magno ſuorum numero ſtipatus unam è ſuis filiabus eximia forma, pro coloris ratione in ea provincia præditam, ad Regem *Calos* deducebat, ut ipſi conjugem daret: huius Inſulæ incolæ cum id intellexiſſent, ſtructis inſidiis qua *Oathkaquæ* tranſeundum erat, pugna commiſſa ipſum fundunt fugantque; ſponſa cum toto gynæceo capta, in Inſulam abducitur. Quod apud Indos pro inſigni victoria cenſetur; matrimonio enim ſibi coniungere eas virgines, & perdite amare ſolent. Qui mihi hæc referebat Hiſpanus, addebat, debellato *Oathkaqua*, ad ipſum commigraſſe, atque circiter octennium hæſiſſe, donec ad me veniret.

Calos ad flumen quoddam ſitum eſt quadraginta aut quinquaginta miliaribus ultra Floridæ promontorium qua ad Meridiem vergit, *Oathkaquæ* vero domicilium cis Promontorium eſt Septentrionem verſus, eo loco qui in Chorographia *Cannaveral* nomine inſignitur, octo & viginti gradib. ab æquatore.

Circiter vigeſimum quintum Ianuarii, meus vicinus *Paracouſi Satourioua* per binos è ſuis aliquot munera miſit, ad mihi perſuadendum, vt conjūctis viribus bellum adverſus *Outinam* mihi amicum gereremus: orans præterea, meos qui apud *Outina* verſabantur, revocarem, quorum cauſa ſibi ab *Outina* invadendo & ſuperando temperauerat; plurimi etiam reges ipſi confœderati, per

tres hebdomadas aut totū menſem ejus rei cauſa nuncios ad me miſerunt. Sed eorum votis acquieſcere nolui, imo omnē operam adhibui, ut eos amice conjungerem: quod annuerunt, ita ut exiſtimarem jam pro rato habituros quidquid ſtatuerem. Tum uterque Hiſpanus qui jam diuturno uſu perſpectum habebant Indorum ingenium, me admonere, ne ullo modo eis fiderē: cum enim maxime blandiuntur, tum proditorie aliquid moliuntur; natura ipſos eſſe ſummos proditores & diſſimulatores. Sed ego etiam minime illis fidem habebam: experientia enim & ex Hiſtoriarum recentiorum lectione mille eorum artes & fraudes cognoveram.

Duabus cymbis iam paratis, Navarcho *Vaſſeur* mandatum dedi ut littus marinum ad Septentrionem vergens obſervaret, & ad flumen vſq; navigaret, cujus Rex *Aduſta* erat, ejus loci dominus, è quo Galli anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo annonam convexerāt. Binas differentes veſtes illi mittebam, aliquot ſecures, cultros, & alias viles merces, ut facilius me in ipſius amicitiam inſinuarem. Atque ut ipſum facilius demereri poſſem, *Vaſſorio* adjunxi militem Aimon dictum, qui in prima navigatione fuerat, ſperans à Rege *Aduſta* cognitum iri. Sed ante quam cymbam conſcenderent, diligenter perquirere iuſſi, quid altero milite *Rouſſi* vocato, qui ſolus in illa regione remanſerat, cum *Nicolaus Mallon* tribunus, & reliqui in priore illa navigatione, naves conſcenderunt, ut in Galliam redirent, actum eſſet. Eo pervenientes intellexerunt, militem quadam cymba, iſtac iter faciente, exceptum, & alio traductum; poſtea autem didici Hiſpanos illud littus legentes eum excepiſſe & *Hauanam* duxiſſe. Rex *Aduſta* cymbam mayzo & fabis plenam mihi remiſit; addidit præterea binos cervos, & binas pelles ſecundum ipſorum conſuetudinem pictas, & aliquot vniones vilis precii, quoniam aduſtæ erant; mihi etiam ſignificari iuſſit, latas poſſeſſiones daturum ſi ſedes apud ipſum figere vellem, & collecto mayzo quantum vellem communicaturum. Interea tanto numero palumbes advolarunt ſeptem hebdomadum ſpatio, ut ſingulis diebus plus quam ducentas tormentaria pyxide in ſylvis noſtrum propugnaculum ambientibus occideremus. Reverſo Tribuno *Vaſſorio*, denuo binas cymbas milite & nautis armari juſſi, & munus meo nomine miſi viduæ defuncti Regis *Hiouacara*, quæ à noſtra arce circiter duodecim miliaria habitabat ad Septentrionem: illa humaniter exceptis meis utramq; cymbam mayzo & glande onuſtam remiſit: addidit etiam aliquot corbes *Caßinæ* foliis plenos, è quibus potionem conficere ſolent: huius viduæ habitatio mayzi omnium elegantiſſimi feraciſſima eſſe perhibetur, præ reliquis maritimis regionibus. Fertur etiam hæc Regina omnium Indicarum formoſiſſima, & ſumma eſſe in exiſtimatione: imo eam ſubditi adeo reverenter habent, vt fere perpetuo humeris ferant, nec pedes ire ſinant. Aliquot diebus poſt remiſſas meas cymbas, ſuum *Hiatiqui*, hoc eſt, interpretem ad me miſit.

Tantum porro annonæ me habere exiſtimans, quæ ſufficeret donec naves è Gallia aduenirent, binas meas cymbas (ne mei otioſi eſſent) miſi obſeruatum adverſo flumine, quæ eo vſque progreſſæ ſunt, ut triginta miliaribus

ſupra

ſupra *Mathiaca* peruenirent, & iſtic lacum obſervarent, cujus adverſa ripa (referentibus Indis) conſpici non poſſet; licet enim celſiſſimas totius illius regionis arbores conſcendiſſent, nunquam tamen terram ex adverſo conſpicere potuiſſent. Ea de cauſa mei ulterius non ſunt progreſſi, ſed regredientes per *Chilili*, inſulam *Edelano* medio in flumine ſitam obſervarunt, omnium ſane amœniſſimam. Nam cum circiter tria duntaxat miliaria in longitudinem & latitudinem pateat, feraciſſima tamen eſt hominum & fructuum. Pagum *Edelano* egreſſis, & ad fluminis portum tendentibus, tranſeundum fuit per deambulacrum trecentis paſſibus longum, quindecim latum, vtrinque vaſtis arboribus conſitum; quarum rami ſeſe tam eleganter in fornices implicant, ut pergula quædam videatur arte facta, non natura, cui ſimilem forte Chriſtianus orbis non habeat. Egreſſi inde noſtri, ad *Enecaque* navigarunt, poſtea ad *Patchica*, denique ad *Choya* iſtic relictis in ejus fluminis exiguo ramo cymbis, & aliquot ad earum cuſtodiam viris, *Outina* inviſerunt, qui humaniſſime illos excipiens, ipſos inde diſcedentes adeo importunis precibus urſit, ut ſex è meis apud ipſum hærerent, è quorum numero nobilis quidam nomine *Grotaut* fuit. Is poſtquam bimeſtre apud eum hæſiſſet, & diligenter regionem obſeruaſſet cum alio, quem diu ante iſtic ejus rei cauſa reliqueram, ad me in arcem rediit, ſignificatum, ſe amœniorem regionem numquam conſpexiſſe. Inter reliqua referebat ſe locum quendam *Ouſtaca* appellatum conſpexiſſe, cujus Rex adeo potens erat, vt tria aut quatuor Indorum milia in aciem producere poſſet, cui ſi me adjungere vellem, facile reliquos in noſtram poteſtatem redacturos: deinde huic Regi itinera, quæ ad montes *Apalatcy* ducunt, cognita erant, ad quos peruenire Galli adeo deſiderabant, & in quibus *Ouſtaca* hoſtis ſuam habitationem habebat, quem facile debellare poſſent, modo conjunctis viribus in ipſum impetum facerent. Miſit ille Rex ad me laminam ex ære è montibus illis eruto, è quorum radicibus torrens emanat auri, ſive, ut Indi putant, æris dives: nam in eo torrente harundinaceo calamo concavo, arenam hauriunt, donec plenus ſit, deinde eo quaſſato & ſuccuſſo, cum arena mixta inveniũt æris & argenti grana: vnde conjecturam faciunt aliquam ejus metalli venam eſſe in illis montibus. Cum vero quinque aut ſex duntaxat dierum itinere à noſtra arce abeſſent, ad *Thraciam*, conſtitueram, ſimulatque ſubſidia è Gallia adveniſſent, habitationem noſtram traducere ad flumen aliquod, ad Septentrionem magis obverſum, vt eo viciniores montibus eſſemus.

Redeundum nunc ad noſtros nobiles & milites, qui conquirendorum alimentorum gratia, in novam Hiſpaniam profecti erant. Illi ad inſulam Cubam appellentes, aliquot naves capiunt, quaſdam etiam ſine magna difficultate, omnis generis annona plenas, ut Caſſavi, oleo olivarum, vino Hiſpanico, has naves in ſuum uſum applicant, relictis ſuis navigiolis. Ea præda non contenti, in aliquot inſulæ loca excendunt, & deprædantur, ſic vt ex ea præda bis mille coronati in ſingula capita redire crederentur. Deinde actuariam navem opibus plenam, in qua ejus inſulæ portus cujuſdam appellati *la Havana* præfectus, non ſine pugna capiunt. Præfectus pro ſua & duorum liberorum redem-

ptione magnam pecuniæ ſummam offert: de precio conveniunt, ſed vt huic etiam accedant quatuor aut ſex ſimiolæ Saguins dictæ, elegantiſſimæ, & totidem pſittaci qui in inſula reperirentur ſelectiſſimi, manente captivo interea in nave Præfecto, donec redemptionis precium perſolutum eſſet. Annuit præfectus, & quo maturius iſta confici poſſint, rogat, vt ipſi liceat alterum ex liberis ad vxorem cum epiſtola mittere continente redemptionis conditiones. Scriptam epiſtolam legunt, probant noſtri Galli, nihil in ea quod culpari poſſit reperientes, mittitur ea Havanam cum lembo actuariæ navis: ipſi tamen licet aſtuti & circumſpecti ſibi viderentur, verba non intellexerunt quæ Præfectus filio in aurem dixit, ne videlicet uxor quidquam eorum ageret quæ in epiſtola erant ſcripta, ſed per diſpoſitos equos juberet per omnes eius inſulæ portus ſignificari, ut auxilia ipſi mitterentur. Vxor mariti mandata tanta diligentia exequuta eſt, ut diluculo feroces noſtri Galli à duabus magnis navibus magna tormentorum æneorum quantitate ex vtroque latere diſpoſita inſtructiſſimis, & ingente roſtrata nave cingerentur. Illi ſe concluſos conſpicientes ob oſtii portus anguſtiam, admodum attoniti fuere, pars tamen militum ſex & viginti ſcilicet in parvam navem ſpeculatoriam, quæ in portu erat, ſe conjiciunt, quo facilius & minore cum damno tormẽtorum perrumpere poſſent, ac reciſo anchoræ fune, pugnando per medios hoſtes evadunt: ſed reliqui milites, (qui in actuaria navi erant, cum Præfecto Hiſpano) capti & in cõtinentem abducti (exceptis quinq; aut ſex qui in cõgreſſu cæſi) fuerunt, & in vincula conjecti, partim venditi & in alia loca deportati, etiam in Hiſpaniam & Luſitaniam uſque.

Inter eos qui evaſerant, tres fuere conjurationis principes, Fourneauxius, Stephanus Genuenſis, & Croixius, Nauclerus Trinchant qui vi ab ipſis abductus fuerat etiam inter illos erat cum quinque aut ſex nautis, qui animadvertentes navem ſpeculatoriam carere alimentis, neque ullam affulgere ſpem ea conquirendi, inter ſe ſtatuunt redeundum eſſe in Floridam interea dum alii dormirent, quod ſane fecerunt. Milites excitati admodum indignati ſunt, nam Laudonnierum metuebant: tandem ſtatuunt adeundum eſſe fluminis Maii oſtium ad alimenta quærenda: ſibi enim multos Indos eſſe cognitos à quibus annonam accipere poſſent, deinde altum rurſus petendum ac fortunam periclitandam clam his qui in arce erant. Ad fluminis igitur oſtium pervenientes anchoras jaciunt, & alimenta quærere incipiunt: quod Indus quidam illico ſignificatum venit Laudonniero. Hac re cognita, Laudonnierus voluit ad eos mandata perferri, ut navim ante arcem adducerent, & ipſi eum convenirent: ſed Caillius centurio eum obſecrat ut rem altius perpendat, fieri enim poſſe ut ejus mandatis non obſequantur, ſed potius fugiant: ſicq; fruſtratum iri occaſione exemplar in eos ſtatuendi. Ad hæc Laudonnierus, quid igitur agendum ſtatuis? cui Caillius, concede mihi obſecro viginti quinq; milites pyxidarios, quos noſtro navigiolo impoſitos tegam ejuſdem velo, & ſub auroram navem ſpeculatoriam propius accedam: nam è longinquo nos binos ſolummodo aut ternos conſpicientes cum binis nautis navigioli rectoribus, nõ magnopere curabunt

rabunt etiam ſi propius eos accedamus, navi autem ipſorum proximi, mei milites exurgent & illorū navem ingredientur. Hoc probato conſilio, navigiolum conſcendunt milites, quod poſtridie ante ſolis ortum vigiles, qui in navi erant, conſpicati, totam catervam excitant; hi videntes noſtrum navigiolū, ex longinquo Cailliū cum binis aliis militib. agnoverunt, & eos propius accedere permiſerunt nullis armis ſumptis, ſed poſtquam noſtrū navigiolū latus illorum navi conjunxit, ſubito noſtri milites exilientes ipſorum navim conſcendunt: illi autem attoniti, ignem excitari jubent, & ad arma cōcurrunt, ſed ſero nimium: nam ſtatim adempta fuerunt, & illis ſignificatum ut ad Regis Legatum venirent, quo adeo ſunt conſternati, vt ipſorum vitam in ſummo diſcrimine eſſe agnoſcerent. His in arcem perductis, juridice cum tribus conjurationis principibus actum eſt, & de condemnatis ſupplicium ſumptum, reliquæ multitudini, primum tamen exauctoratæ, venia data: nulla deinde ſeditio ſubſequuta.

His rebus compoſitis ingens fames ſequuta eſt, quia viciniores & remotiores Indi à nobis ſeceſſerunt multas ob cauſas: primum quod pro alimentis nihil illis conferebatur, deinde quod plerumque verbera à noſtris acciperent, ad alimenta conquirendum: imo adeo vecordes fuerunt ne dicam perverſi aliqui ut incenderent illorū ædes, exiſtimantes ea ratione ab ipſis facilius alimenta ſe impetraturos. Sed malum indies ſic creſcebat, ut tria aut quatuor miliaria eſſent conficienda, prius quam aliquis Indus reperiri poſſet. Huc accedebat bellum adverſus potentem Regem *Outina* geſtum, quod cum ſit à Laudonniero deſcriptum in eo quem de ſua peregrinatione confecit libro, illius mentionem non faciam: vt ſummatim dicā, res eſſet miſeratione digna, ſi quis ſigillatim de ſcribere vellet, in quam egeſtatem redacti fuimus, meum enim inſtitutum duntaxat eſt, ut quam breuiſſime ſcribam quæ acciderunt.

Quibuſdam ergo fame extinctis, & reliquis adeo macie confectis, ut cutis oſſibus hæreret, Laudonniero etiam deſperante de auxilio è Gallia accipiendo, jam enim decem & octo menſibus iſtic hæſeramus: communi omnium conſilio deliberatum eſt rationes meditari quibus in Galliam redire poſſemus: tandem decretum, ut tertia navis è Gallia adducta, quam commode fieri poſſet reficeretur, & ejus ſumma tabulis augerentur, atque fabris in eo opere occupatis, milites ſecundum maris littus alimenta quærerent.

Cæterum dum ad opus accingimur, appulit ex longinqua quadam navigatione, Præfectus quidam Anglus nomine Havvquins, qui lembo in noſtram arcem venit; is nos in tam miſero ſtatu conſpiciens, nobis obtulit ſuam operam quacumque in re nobis commodo eſſe poſſet, eamque etiam præſtitit. Nam Laudonniero vendidit unam ex ſuis nauibus æquo admodum precio, & dolia aliquot farinæ, è qua panes biſcocti cōfecti in noſtrum uſum, & donatis etiam nonnullis doliis fabarum & piſorum, aliquot tormenta ænea arrhabonis loco accepit, ac diſceſſit.

Læti admodum nactos nos eſſe navem præter eam quam fabri refecerant, atque annonam in noſtrum reditum ſufficientem, deliberatum eſt, arcem ante noſtrum diſceſſum duabus de cauſis eſſe diruendam; primum ne

Hiſpanis,quos intellexeramus eo venire velle, poſt noſtrũ diſceſſum vſui eſſet, adverſus Gallos,ſi denuo eo redirent; deinde ne *Saturioua* eam vacuam occuparet:à nobis igitur fuit diruta.

Verum nobis ad iter accinctis, & ventum ſecundum per tres ſeptimanas expectantibus ad ſolvendum ex ea provincia, præter ſpem aduenit ſeptem navium claſſis Præfecto Ioanne de Ribaud viro celebri, & multis virtutibus prædito,qui Laudonniero mittebatur ſucceſſor, ad ea peragenda quæ Rex jam inceperat:qua de cauſa omnibus inſignem lætitiam attulerunt non ſperata ea auxilia. Iactis anchoris Ribaldus excendit, cum aliquot Centurionibus, multisq; nobilibus viris & aliis, qui gratias agebant Deo, quod nos viuos repeririſſent, ut neceſſaria ſubminiſtraret,ſignificatũ enim illis fuiſſe nos omnes extinctos: itaque pro longa afflictione quam perpeſſi eramus, Deus nobis gaudium immiſit. Nam ſinguli liberales erant in communicandis alimentis & aliis bonis quæ abunde attulerant, & omnes quacumque in re poſſent gratificari ſtudebant ſuis amicis,aut conſanguineis,aut popularibus,ſic ut omnia perſtreperent lætitia; ſed brevi admodum, vt poſtea intelligemus. Ribaldus in continentem exponere cupiens merces,annonam & alia ad bellum neceſſaria, oſtii fluminis altitudinem bolide tentari iuſſit:ſed minus aquæ reperiens,quam ut maiores naves ſubire poſſent,tres minores duntaxat flumen ingredi iuſſit,quarum majori, Vnio nuncupatæ præerat filius ipſius Iacobus Ribaldus, cui additus erat Legatus Tribunus Vallard Diepenſis: alterius Præfectus erat Tribunus Maillard etiam Diepenſis: tertiæ imperabat nobilis quidam Machon-ville: quatuor majores in anchoris ſteterunt uno à continente miliari: quia in ea plaga mare admodum erat planum,& exonerabantur lintribus & ſcaphis.

Septem porro aut octo diebus à Ribaldi adventu,omnibus nobilibus, militibus, & nautis (exceptis paucis qui ad quatuor maiorum navium cuſtodiam relicti erant) in terram expoſitis, & inter ſe agentibus de ædificiis ſtruendis & arce reſtauranda,ſub quartam pomeridianam cõſpectæ ſunt ab aliquot militibus,qui ad littus marinum exſpatiatum iverant, ſex naves ad quatuor noſtras quæ in anchoris ſtabant accedere: id milites ſtatim ſignificari jubent Ribaldo, cui ſerius advenienti denuntiant ſex magnas naves anchoras apud noſtras naues fixiſſe,quæ illico præciſis anchorariis funibus, & omnibus velis expanſis fugerunt; ſex autem illas naves anchoris ſublatis ſubſequutas eſſe (tempore autem advenit Ribaldus ut hanc perſequutionem videret cum plerisque aliis) melioribus autem velis præditæ noſtræ quatuor aliis ſex,breui oculorum noſtrorum aciem effugerunt: ante quadrantem horæ diſparuerunt etiam aliæ ſex, quæ res admodum anxios tota ea nocte nos reddidit,in qua Ribaldus omnes lintres & naviculas inſtrui jubet, quingentos etiam aut ſexcentos pyxidarios in littore ſiſtit, paratos naves conſcendere, ſi opus eſſet: nocte ſic tranſacta,poſtridie ſub meridiem,maxima è quatuor navibus Trinitatis ſymbolum habens, apparere cœpit, recta ad nos tendens; conſpeximus deinde ſecundam cui præerat Coſſette Tribunus, tandem tertiam, & paulo poſt quartam, quæ ſigno dato nos ad ſe evocabant. Ribaldus vero metuens ne hoſtes aliqui, noſtris

ſtris navibus occupatis, id agerent ad nos pelliciendos, periculo noluit exponere ſuos milites, qui tamen libentiſſime naves conſcendiſſent. Navibus propius ad littus, adverſis ventis, accedere nequeūtibus, Tribunus Coſſetius epiſtolam ad Ribaldum ſcribit, quam nauta acceptam recondidit, & in mare deſiliit magno vitæ periculo: poſtquam diu nataſſet, à noſtris conſpectus fuit, & ſubito miſſus lembus qui illum exciperet, & ad Ribaldum adduceret. Epiſtola autē ſic erat ſcripta: Domine Ribalde, heri ſub horam quartam à meridie claſſis Hiſpanica octo navium in cōſpectum noſtrum venit, quarum ſex apud nos anchoras jecerunt, ſed nos animadvertentes Hiſpanos eos eſſe, præciſis funibus anchorariis vela fecimus, ipſi etiam ſtatim velis expanſis tota nocte nos perſequuti ſunt, multaq; tormenta in nos exploſerunt; ſed videntes conſequi nos non poſſe, quinque aut ſex miliaribus infra deſcenſionem fecerunt, educta è navibus magna Æthiopum multitudine palas & ligones geſtantium, ſuper qua re pro tua prudentia conſilium capies.

Perlecta epiſtola, Ribaldus præcipuos ſuorum in cōcilium vocat, in quorum numero triginta prope Centuriones, præter Nobiles, & commiſſarios, alioſque rerum procuratores. Sanior hujus concilii pars, arcem quam primum reſtaurandam & muniendam, magnamque militum partem ducib. Laudonnieri militibus quibus itinera erant cognita, ad locum ubi Hiſpani erant ablegandam eſſe cenſebat; atque ita futurum Deo juvante, ut brevi negotium expediatur: eam enim provinciam non eſſe Hiſpanici juris cuius limites viciniores trecentis vel quadringentis miliaribus aberant. Ribaldus autem omnes ad hunc ſcopum tendere intelligens, ait, Domini, auditis veſtris ſententiis, meam etiam proferre volo: ſed prius vobis ſignificandum arbitror, me, paulo ante meum ex Gallia diſceſſum, literas ab Admirallio accepiſſe, ad quarum calcem hæc ſunt verba ipſius manu exarata. Ribalde, admoniti ſumus Hiſpanum adoriri vos velle, vide ne quid illi cedas, & recte facies. Itaque vobis aperte dico, ſi ſequamur veſtram ſententiam, futurum fortaſſe ut Hiſpani noſtrorum ferociam non expectent, ſed fugiant & naves denuo conſcendant: qua ratione nobis occaſio præriperetur eos perdendi qui nos deſtruere volunt. Sed hæc ſententia mihi potior videtur, ut omnes noſtros milites imponam quatuor iis navibus quas ad anchoras habemus, & recta eamus occupatum ipſorum naves in anchoris iſtic hærentes ubi deſcenderunt, quibus captis, cum non habebunt quo confugere poſſint, præter aggerem recenter ab Æthiopibus factum, in continentem deſcendemus, & tanto confidentius cum eis pugnabimus.

Laudonnierus jam probe verſatus in cognitione temperiei aeris eius regionis, ipſi ſignificat, probe diſpiciendum eſſe primum, ante quam denuo milites naves conſcendant: nam eo anni tempore exoriri ſubito ventorum turbines ſive typhones, quos nautæ *houraganes* appellant, totam illam plagam mirandum in modum affligentes: ſe ea de cauſa priorem ſententiam probare: ob eaſdem atque alias cauſas etiam reliqui priorem ſententiam amplecti dixerunt. Solus Ribaldus ſpreto aliorum conſilio perſtitit in ſua ſententia, quam Deus haud dubie ratam eſſe voluit, ut ſuos caſtigaret & improbos perderet.

Nec adhuc contentus ſuo milite, à Laudonniero poſtulauit ipſius Præfectos atque Signiferum, quos commode illi negare non auſus eſt Laudonnierus: tunc omnes Laudonnieri milites ſuum Anteſignanum abeuntem videntes, ipſum ſequuti ſunt: ego etiam illos proficiſcentes conſpiciens, navem cum aliis conſcēdi, licet altero pede claudus, nec dum curatus è vulnere in crure accepto bello aduerſus *Outinam* geſto.

Omnibus militibus navibus impoſitis, vnius aut duarum horarum dumtaxat ſecundo vento opus erat, ad perveniendum ad hoſtes: ſed cum anchoræ eſſent vellendæ, ventus ſe cōvertit, & plane aduerſus nobis factus eſt, inde flans quò noſtrum iter erat inſtitutum, ſic vt duobus diebus & totidem noctibus fuerit nobis expectanda commoda aura. Tertio die ut videbatur mutatio venti futura, Ribaldus jubet omnes Præfectos ſuorum militum delectum facere. Ottignius luſtrum faciens militum Laudōnieri, me nondum probe curatum reperit, ea de cauſa cymbæ impoſitum, cum alio milite ſartore, qui ei veſtes in reditum in Galliam concinnaret, in arcem invitum redire coegit. Cæterum ſublatis anchoris & datis vento velis, ſubito coorta eſt tam horrenda tempeſtas, vt naves pro ſua ſalute in altum mare quantum poſſent tendere cogerentur: ea vero non remittente, venti turbinibus ejectæ ſunt verſus Aquilonem plus quam quinquaginta ab arce miliaribus, & omnes ad ſcopulos alliſæ confractæque; omnibus tamen viris ſaluis præter nobilem ex familia Admirallij Caſtilionei cui nomen *La Grange* Tribunum, virum rerum experientia & multis virtutibus præditum qui aquis hauſtus eſt. Hiſpanicæ naves etiam eliſæ naufragio perierunt.

Perſeverante iſta tempeſtate, Hiſpani admoniti Gallos naves conſcendiſſe, & non abs re ſuſpicati naufragio per eam tempeſtatem periiſſe, noſtram arcem facile ſe occupaturos exiſtimarunt: & licet tanti atque continui eſſent imbres, ac ſi denuo peritura diluvio eſſent omnia, tota tamen nocte ad noſtram arcem iter facere non deſtiterunt: eadem nocte continuas excubias egerant pauci illi qui arma tractare norant: nam ex centum & circiter quinquaginta qui in arce reſtiterant, vix viginti ad reſiſtendum erant apti; quia Ribaldus, ut dictum eſt, omnes ſtrenuos milites abduxerat præter quatuordecim aut quindecim ægros & mutilos vulneratosq; ex prælio aduerſus Regem *Outinam* geſto: reliqui erant aut miniſtri aut opifices (qui ne pyxidem quidem vnquam explodi audiverant) aut Regii Commiſſarii, ad calamum quam gladium tractandum magis idonei; præterea aliquot mulieres, quarum mariti majore ex parte naues conſcenderant: Laudonnierus vero æger in lectulo decumbebat.

Orta iam luce, cum nemo circum arcem conſpiceretur, Dominus de la Vigne, cui Laudonnierus excubiarum curam commiſerat, miſertus militum madentium, & continua vigilia fatigatorum, eos ad horam quieti ſe tradere iubet: vix armis depoſitis in ſuas habitationes ingreſſi erant, cum Hiſpani duce Gallo Franciſco Ioanne, qui ſuos ſodales ſeduxerat, tribus locis accelerato gradu in arcem penetrant nemine reſiſtente, & militum ſtatione occupata ſigna militaria

militaria figunt, inde per militum domos vagantur, & quotquot reperiunt occidunt, unde clamores & horrendi gemitus exauditi eorum qui jugulabātur. ad me quod attinet, quotieſcunque memoria repeto inſigne miraculum quod Deus (cui nihil certe impoſſibile) in me oſtendit, ſatis mirari nequeo, & quaſi attonitus hæreo: nam ab excubiis rediens, poſita pyxide tormentaria, totus madens in xylinum lectum, quem Braſilianorum more ſuſpenderam, me conijcio aliquantulum dormitare ſperans: ſed exauditis clamoribus, armorum ſtrepitu, & iteratis vulnerum ictibus, illico deſilii, atque egredienti ædes, vt viderem quid rerum gereretur, bini Hiſpani eductos gladios manu tenentes, in ipſa janua obvii facti, nec me allocuti (licet in eos impegiſſem) in habitationem ingrediuntur: ego vero vlterius progreſſus nihil niſi cædes conſpiciens, atque etiam militum ſtationem occupatam ab Hiſpanis, pone eam regredior & recta proficiſcor ad aggeris foramen (qua tormenta ænea explodebantur) ex quo facilius me poſſe exilire ſciebam: iſtic quinos vel ſenos è meis commilitonibus reperio necatos, quorum duos agnovi, videlicet la Gaule & Ioannem du den. Tum in foſſam deſilio, qua ſuperata ſolus iter facio paulatim aſcendens, donec ad ſilvam quandam pervenirem: iſtic in æditiore collis loco conſiſtenti, primum mihi à Deo mens reddita: certum enim eſt, quæcunque mihi ab habitatione digreſſo acciderant, tamquam mente capto eveniſſe. Oratione autem ad Deum facta, ut quid in tam extremo periculo agendum eſſet mihi ſuggereret, ejus Spiritus inſtinctu ſylvam, cujus ſemitæ ex frequenti uſu ante probe mihi erant cognitæ, ingreſſus ſum: paululum progreſſus, alios quatuor Gallos reperi magna cū animi lætitia, atq; nos mutuo conſolati, diſquirere cœpimus quid eſſet agendum: nonnullorum erat ſententia, ut iſtic in poſterum diem, quo Hiſpanorum furor mitigari poſſet hæreremus, deinde in ipſorum poteſtatem nos traderemus potius, quam iſtic manentes ferarum libidini nos exponeremus, aut fame, quam alias tam diu perpeſſi eramus, extinguēremur: aliis diſplicebat hæc ſentētia, & Indorum habitationes procul quærendas eſſe cenſebant, apud quos viveremus, donec Deus aliam viam nobis demonſtraret: ad quos ego, fratres, neutrorum ſententiam probo, ſed ſi mihi credatis, per ſilvam ad maris littus tendemus, vbi forſitan aliquid intelligemus de binis navigiis minoribus quæ Ribaldi mandato flumen ingreſſæ ſunt ad exonerandam annonam è Gallia advectam: illi meas rationes omnino impoſſibiles judicantes, ad Indos ſe contulerunt, me ſolo relicto. Verum Deus, meæ afflictionis miſertus, alium comitem procuravit, nempe militem illum, Grandchemin nominatum, quem ab Ottignio in arcem, ad veſtes illi concinnandas, remiſſum ante dixi: huic idem conſilium do quod aliis, nempe littus inveſtigandum, ad minora duo navigia reperiēda; probato meo conſilio, toto illo die facientes iter, tandem ſyluam ſuperavimus: ſed vt quo tendebamus perveniremus, emetienda adhuc erant harundineta, magnis harundinibus conſita (difficile admodum iter) atque tali labore confectos nox oppreſſit continuis imbribus ſupra nos cadentibus, & maris vndis intumeſcentibus, aqua ſupra cingulum inter iſta harundineta etiam pertingente, quo in labore prior nox tranſacta eſt. Orta iam die cum ver-

ſus mare nihil ſeſe offerret noſtris oculis, indignatus miles mihi dixit, præſtitiſſe hoſtibus ſe tradere, atque ad eos regrediendum: nam dum intelligent nos opifices, parcituros, ſin minus an non ſatius eſt ab illis occidi, quam in hoc miſero ſtatu languere? Eum à tali propoſito divertere tentavi, ſed operam luſi: imo jam me relicturus, effecit ut fidem illi darem ad Hiſpanos cum ipſo regreſſurum: remenſo itaque per ſylvam itinere, conſpiciens jam arcem, & ſtrepitum gaudiúq; Hiſpanorum exaudiens, commotus fui: atq; militi dixi, Oro te amice & ſodes, ne illuc eamus, ſed aliquantulum adhuc ſubſiſtamus: Deus enim aliquam ſalutis viam nobis demonſtrabit, cum multas habeat nobis incognitas, & nos ab his moleſtiis liberabit: tum ille me amplexus, ego inquit abeo, & tibi valedico. Editiorem paulo locum conſcendens, obſeruare volui quid illo fieret. Conſpectus ab Hiſpanis ut è monte deſcendebat, illico adverſus eum caterva militum mittitur, quos ad ſe veniētes videns, in genua ſe coniecit, vitā ab illis poſtulans: ſed furore perciti fruſtulatim eū conciderunt, ſummis haſtis & pilis fruſta conciſa præfigentes. In ſyluam interea me abdo, in qua confecto unius miliaris ſpatio, incido in quendam Rotomagenſem, cui nomen La Crete, & Belgam Inſulanum Eliam des Planques cum Laudonnieri ancilla, quæ vulnus in pectore acceperat; ad prata igitur marina tendentes, ante quam ſylvam egrederemur, Laudonnierum etiam invenimus & alium nomine Bartholomæum, cui altum vulnus in collo acinace inflictum; tandem accedentibus adhuc aliis, decimum quartum vel decimum quintum numerum expleuimus. Quia vero faber lignarius dictus Le Chaleux, vnus è noſtris, breuiter deſcripſit eam calamitatem, de iis non plura: illud ſolum addam, quod tranſactis in aqua ſupra cingulum duobus diebus & totidem noctibus in paludibus & harūdinetis, Laudonnierus qui natandi peritus erat, cum adoleſcente Rotomagenſi tria magna flumina natando ſuperauit, ante quam noſtras naues conſpicere poſſet: tertio die nautarum opera ſalvi Dei beneficio ad naves pervenimus.

Supra dictum eſt, Ribaldum aquæ penuria quatuor majores naves in fluminis oſtium perducere nō potuiſſe, ad eas exonerandas, ſed tres minores duntaxat flumen ingreſſas, quarum majori præerat Iacobus Ribaldus ejus filius: is ſuam navem uſque ad arcem perduxerat, & licet iſtic in anchoris ſtaret dum Hiſpani iſtā lanienam exercerent, ne tormentum quidem vllum (cum non careret) explodi curavit. Contra volenti ſuam navem ad fluminis oſtium moliri, venti obſiſtebant toto illo die: interea Hiſpanis ipſum ſolicitantibus ut ſe ipſis traderet; æquis enim conditionibus cum eo paciſci velle, nihil reſponſum: nam cum illum obſeruarent omni conatu ſuam navem in altum deducere velle in cymbam, qua in arce utebantur, tubicine cum proditore illo Franciſco Ioanne (qui Hiſpanos ad arcem perduxerat) impoſito, colloquium petierunt ipſum ad compoſitionem invitantes. Et licet is proditor adeo confidens fuerit, vt Iacobi Ribaldi navē ingredi non dubitarit, adeo tamen ignavus & timidus fuit Ribaldus, ut illum retinere ſit veritus, atq; liberum dimiſerit; tametſi præter nautas plures quam ſexaginta milites haberet. Sed nec Hiſpani licet cymbis & lintribus abundarent, eum aggredi unquam ſunt auſi.

Poſtridie

Poſtridie tandem Iacobus navem ad fluminis oſtium perduxit, ubi alias duas minores invenit claſſiariis fere vacuas; nam maior pars eorumque præſtantiorum Ioannem Ribaldum ſequuta erat. Quod animadvertens Laudonnierus, ex binarum illarũ claſſiariis & apparatu unam inſtruendam, alteram autem deſerendam ſtatuit; deinde cum Iacobo deliberat quid potiſſimum ſit faciendum, rectene facturos ſi ipſius patrem perquirerent: ille reſpondit, ſe in Galliam redire velle: quæ ſententia obtinuit. Porro, quia præter biſcoctum panem in minore navi nulla erat annona, atque aqua deſtituebatur, Laudonnierus aliquot vacua dolia aqua impleri curavit: idem fecit Iacobus, in qua re & reſtaurandis quæ deerant, biduum inſumptum; totoque illo tempore noſtræ naves lateribus conſertæ fuerunt, cum arbitraremur Hiſpanos aggredi nos velle: nam ſubinde cymbas ingreſſi nos obſervatum veniebãt, propius numquam tamen accedentes, quam ad pyxidis tormentariæ iactum; & certe cognitis iis, quæ in noſtris perpetrarant, ſtrenue nos defendere ſtatueramus.

Ante quam ſolveremus, petiit à Iacobo Ribaldo Laudonnierus, ut vnum ex quatuor quos habebat naucleris ſibi commodaret, quia nullus noſtrum navigationis admodum peritus erat, ſed repulſam tulit; deinde commodum futurum ait, ut deprimerentur naves, quas ad fluminis oſtium habebamus, ne Hiſpani à noſtro diſceſſu eas occuparent, iisque Ioanni Ribaldo reditum in flumen præcludant, ſi illud ingredi cuperet (ignorabamus enim ipſius naufragium) ſed Iacobus nihil iſtorum facere voluit. Laudonnierus hominis pertinacia perſpecta ſuum fabrum miſit, qui naves corrumperet & deprimeret, videlicet quam ex Gallia advexeramus, quamque à Præfecto Anglo Havvquins emeramus, & minimam earum quas Ribaldus advexerat, atque è *Florida* ſolvimus, nautis & annona male inſtructi; ſed Deus adeo proſperum iter nobis conceſſit (licet multa in navigatione perpeſſis) ut pone Angliam appelleremus in ſinum, qui vulgò *Divi Georgij manica* appellatur. Hæc ſunt quæ de ijs, quæ in noſtra navigatione à me obſervata ſunt, dicenda eſſe exiſtimavi; ex quibus apparet victoriam non ab hominibus, ſed à Deo provenire, qui omnia pro ſua voluntate juſte facit. Nam humano judicio, quinquaginta Ribaldi milites infimi ordinis, omnes Hiſpanos protriviſſent, qui magna ex parte mendici & fex populi erant: Ribaldus vero plures octingentis pyxidariis veteranis, & ſtrenuis, quorum arma erant deaurata, habebat. Sed quandoquidem Deo ita placuit, noſtrum eſt dicere, ſit benedictum nomen Dei æterni.

Quid porro Ribaldo acciderit ab ejus naufragio, quia non adſui, dicere nihil poſſum, niſi quod à nauta quodam Diepenſi intellexi, qui ex Hiſpanorum manibus elapſus eſt, ut poſtea dicetur. Summatim igitur rem ipſam percurram, Luſtro, ut diximus, ſuorum facto, & ſolo Centurione *la Grange* deſiderato, amiſſis tamen naufragio omnibus armis, Ribaldus ad ſuos egregiam orationem habuit, illis declarans æquo animo ferẽdam eſſe eam calamitatem, quæ ex Dei voluntate ipſis acciderat; erat enim vere pius & bene dicendi facultate præditus. Peractis deinde ad Deum precibus, ad noſtram arcem (à qua quinquaginta miliaribus aberant) proficiſcendum eſſe ſtatuũt. In hoc itinere multas haud

dubie perpeſſi ſunt difficultates, & magnos labores ſuſtinuerunt: nam loca per quæ illis iter faciendum, aquis interciſa erant, ab Indis neque habitata neque culta, ſic ut herbis & radicibus veſci cogerentur, vnde maxima pars animi admodum anxia: ſuperatis tamen omnibus difficultatibus magno animo, vicini noſtræ arci facti ſunt ad quartum aut quintum miliare, ut Laudonnieri milites ex locorum obſervatione judicare poterant. Tum Ribaldus ulterius progredi non voluit, ſed coacto concilio, quid agendum eſſet, deliberandum cenſuit: tandem in eam ſententiam itum eſt, mittendum eſſe Vaſſorium, virum navigationis admodum peritum, cui noti erant omnes rivi qui in flumen Maiũ decurrebant, cum quinque aut ſex viris, in Indica cymba, ut obſervaret, & intelligeret quî valerent Galli in arce relicti. Ille in majorem fluminis alveum perveniens & arci vicinus, Hiſpanica ſigna agnovit, quibus conſpectis, ad Ribaldum rediit, ab Hiſpanis non obſervatus, & quæ vidiſſet retulit. His auditis quantum animo mœrorem conceperit Ribaldus cum ſua caterva facile eſt conicere, ut quid dicerent, quid agerent plane ignorent. Nam ipſe prævidebat Hiſpanorum crudelitatem, deinde majorem ſuorum partem fame & egeſtate perituram mediis in ſylvis animadvertebat: ante tamen quam quidpiam ſtatuerent, ad arcem remittendum eſſe aliquem cenſent, qui intelligat quo animo erga ſe ſint affecti Hiſpani, & quid de his actum ſit qui in arce erant. Mittitur ergo Nicolaus Verdier navis unius Navarchus, cui adjungitur Laudonnieri Centurio Caillius, cuius ante memini, in cymba cum quinque aut ſex militibus, qui ſecundum mandata illis data, è longinquo ſe conſpiciendos præbuerunt: Hiſpani his conſpectis, ſcapha ad alteram fluminis ripam aduenerunt, & cum noſtris colloqui cœperunt. Galli percontantur ubinam eſſent quos in arce reliquerant: reſpondent Hiſpani, ſuum præfectum virum humanum & clementem magna navi omnibus rebus egregie inſtructa ipſos in Galliam remiſiſſe, nec minore humanitate erga ipſum Ribaldum, & eius milites uſurum: hæc illi referri poſſe. His auditis Galli revertuntur. Ribaldus his intellectis, nimis temere credidit ſuos in Galliã remiſſos, & coacto denuo concilio; maxima pars militum vociferari cœpit, eamus, eamus, quid dubitamus ad eos proficiſci? Etiam ſi nobis vtantur pro ſua voluntate, an non præſtat ſemel occũbere, quam tot clamitates perpeti? nullus eſt noſtrûm qui centies mortem in ſinu jam non ſenſerit, dũ in iſtis anguſtiis verſamur. Alii prudẽtiores dicebãt ſe Hiſpanis num quã fidem adhibituros: nã licet, inquiebant, nulla alia ſubeſſet cauſa, quam odium quo nos religionis cauſa proſequuntur, certũ eſt eos nobis non parcituros.

Ribaldus autem videns maximam ſuorum partem eius eſſe ſententiæ, vt ſeſe Hiſpanis traderent, ſtatuit mittendum Caillium ad Hiſpanorũ Præfectum: atque ſi illum ad clementiã propenſum animadverteret, ab ipſo peteret fidem Legati regis Galliȩ nomine, atq; ſignificaret, ſi iuſiurandũ præſtare velit omniũ vitæ ſe parciturum, paratos eos fore ad ipſius pedes ſe abiicere. Hac ſententia à maxima parte probata, remittitur Caillius, qui ad arcem veniens ad præfectum perductus eſt, ad cujus pedes ſe abiiciens, ſibi commiſſa refert. Ille Caillii oratione audita, non modo conceptis verbis fidem Caillio dedit, quam repetitis

multis

multis crucis ſignis, oſculo ſancitis, confirmavit, ſed etiam juratam corã omni ſuorum caterva, & ſcriptam ſuoq; ſigillo obfirmatam tradere voluit, per quam denuo jurabat, & pollicebatur, ſe ſine fraude, fideliter, & ut virum nobilem atq; probum decet Ribaldi atque militum ipſius vitam conſervaturum: datæ ſunt igitur litteræ eleganter ſcriptæ: ſed tantundem præſtitiſſet nuda charta, atque papyracea hæc fides. Refert ergo Caillius bellam illam promiſſionem, quę nonnullos lætitia affecit, aliqui non multum ſpei ex ea ceperunt.

Ribaldus tamen ſuos egregia oratione exhortatus, & precibus, ad Deum ab omni cœtu fuſis, proficiſci ſtatuit, atque ad fluminis ripam è regione arcis cum ſuis venit. Ab Hiſpanis qui excubias agebant conſpecti, cymbis accerſiti fuerunt. Ribaldo ſolo in arcem perducto cum Ottignio Laudonnieri Legato, reliqui extra arcem circiter teli jactum ablegati fuerunt, & quaterni ſimul per brachia dorſis ad dorſa converſis colligati; qui ex rerum apparatu, de ſua vita jam actum eſſe facile cognoverunt. Ribaldus identidem Præfecti colloquium petebat, ut promiſſi illum admoneret, ſed ſurdis canebat. Ottignius miſeræ plebis voces exaudiens, juratam fidem requirebat, ſed riſu excipiebatur. Ribaldum in ſua petitione perſeverãtem, tandem adit miles Hiſpanus, Gallice interrogat an ſit præfectus Ribaldus, annuit: tum ille rurſus, ſi cum ſuis militibus imperaret, eos dicto audientes non expetebat, annuit denuo: volo etiam, inquit Hiſpanus, mei præfecti mandatis obtemperare. Mihi imperatum eſt ut te occidam, atque hæc dicens pugionem in pectus ejus adegit: Ottignius ſimiliter ab eo occiditur. His peractis, delecti ſunt qui reliquos vinculis conſtrictos, clavis & ſecurib. in tempora adactis mactarent, quod nulla interpoſita mora fecerunt, illos ſubinde appellantes Lutheranos, Dei atq; Virginis Mariæ hoſtes. Ea ratione contra religionem juriſiurandi crudeliſſime cæſi fuerunt omnes, præter tympaniſtam quendam Diepenſem Drouet vocatum, tibicinem & fidicinem alium Diepenſem dictum Maſſelin, qui cõſervati fuerunt ad choreas illis præcinendum: elapſus eſt etiam nauta, qui hanc hiſtoriam mihi retulit ſubſequente ratione.

Ex eorum numero qui funibus colligati ad cædem deſtinati erant, cum eſſet, aliquot cum aliis, plagas accepit, non eas quidem mortiferas, ſed quibus ſenſu privatus duntaxat fuit, tribus ſociis ſupra ipſum cadentibus, cum quibus pro mortuo habitus eſt. Hiſpani ingentem pyram exſtruere volebãt ad omnes comburendos; ſed cum dies inclinaret, in alterum diem diſtulerunt. Nocte jacentibus humi ſtratis cadaveribus, nauta, qui ſolum attonitus fuerat, ad ſe rediit, atque memoria repetens ſe cultellum habere in lignea vagina, tantiſper ſe verſavit donec manu cultellum vagina educeret, & funes quibus ligatus erat præſcinderet: deinde exurgens, illinc ſine ſtrepitu ſe ſubduxit, & tota reliqua noctis parte iter fecit; orto iam die, Solis curſu obſervato, quantum potuit ab arce receſſit (eo enim judicio præditi ſunt nautici homines, ut ex Solis ſitu dignoſcere queant quo tendere velint) atque triduo integro ſine ulla intermiſſione iter faciens ad Indum quendam Regem pervenit, quadraginta miliaribus ab arce diſtantem, apud quem per octimeſtre latuit, ante quam Hiſpanis proderetur.

Circiter octo menſes ab occupata arce, Hiſpanis ſignificatum eſt, Gallos aliquot effugiſſe, & per Provinciam ſparſos eſſe. Præfectus Hiſpanorum metuens, ne Incolis coniuncti, quidpiam contra ipſum molirentur, minitatus vicinis Regibus, Gallos qui apud ipſos latebant repetiit: is apud quem erat hic nauta, ipſi dixit ut ad Hiſpanos neceſſario abiret, alioqui metuere, ne in ſe faciant impetum, atque ſuas poſſeſſiones incendant; ille ad alios Regulos tranſire voluit, ſed ab omnibus reſponſum ſuperiori ſimile tulit. Ignarus igitur quid ageret, ad arcem tendit, à qua cum binis tantum miliaribus abeſſet, vltra progredi non voluit, ſed mœrore, animi anxietate, & fame confectus, & abjecta ſpe ſalutis, mortem expectabat; in quo ſtatu per quatuor aut quinq; dies manſit. Eo tempore tribus Hiſpanis ad venationem egreſſis, ab vno illorum deprehenſus eſt, qui cadaveris potius quam vivi hominis ſpeciem ipſum referre videns, miſericordia (quam in mille Hiſpanis vix reperias) motus eſt, nauta ad ejus pedes ſe abijciēte, & orante ut ipſius miſereretur. Interrogatus ab Hiſpano, qua ratione in ipſum incidiſſet, rem illi ut geſta erat narrauit: mitigatus ea oratione Hiſpanus, pollicitus eſt ſe in arcem ipſum non ducturum (metuere enim ne ſtatim necaretur) ſed Præfecto ad iram ejus leniendam loquuturum, & ſe quæcumque poſſet in ipſius gratiam facturum; & cognita Præfecti voluntate, ad ſe reverſurum. Eo igitur iſtic relicto, abit in arcem miles tantumque peregit apud Præfectum, ut polliceretur non moriturum: & militis perſuaſione condemnatus eſt ad mancipii ſervitia. Poſtridie miles Hiſpanus ad miſerum nautam Gallum redit, & illum in arcem ducit, ubi tamquam mancipium annum ſervivit; deinde in Cubæ inſulæ, *portum Havana* dictum miſſus, & compedibus vinctus cum altero Gallo viro Nobili nuncupato Domino de Pompierre, qui una cum aliis Laudonnieri militibus in *portu Havana* captus fuit, cum invitus eam navigationem ſuſcepiſſet, ut in hoc brevi totius navigationis diſcurſu ſupra declaravi. Tandem Pompierrus cum nauta venūdati, & navi impoſiti, ut in Luſitaniam aveherentur: ſed ea nave in Gallicam incidente, cujus præfectus erat Bontemps dictus ex Galliæ portu adveniens, pugnatum eſt utrimq; aliquanto tempore, ſed victoria penes Gallos fuit, qui binos iſtos vinctos reperientes, eos reddita libertate in Galliam reduxerunt. Sic Dominus pro ſua voluntate rationes invenit, quibus miſeros liberet præter ipſorum ſpem.

Hæc ſunt quæ à nauta intellexi de interitu Ribaldi & ſuorum: noſtrum porro eſt, noſmet-ipſos & noſtra peccata accuſare de hoc evētu, non Hiſpanos, quibus Dominus tamquam virgis uſus eſt, ad nos ſecundum noſtra merita caſtigandum. Soli autem Deo omnipotenti, & filio ejus Ieſu Chriſto Domino noſtro, atque Sancto Spiritui, ſit honor & gloria in ſempiternum. Amen.

INDEX

INDEX CAPITVM.

1 Floridæ Promontorium ad quod Galli appellunt, *Gallicum* dicitur.
2 Gallorum ad Maii flumen navigatio.
3 Galli Maio relicto, duos alios amnes obſeruant.
4 Sex alia flumina à Gallis obſervata.
5 Galli ad Portum Regalem perveniunt.
6 Gallorum Præfectus columnam in qua Regis Galliarum inſignia, ſtatuit.
7 Galli in Caroli propugnaculo relicti, annonæ penuria laborant.
8 Columnã à Præfecto prima nauigatione locatam venerantur Floridenſes.
9 Galli locum condendæ arci aptum deligunt.
10 Arcis Carolinæ delineatio.
11 Ceremoniæ à Saturioua in expeditionem adverſus hoſtes profecturo, obſerſervatæ.
12 Outina adverſus hoſtem exercitum ducens, de eventu magum conſulit.
13 Outina Gallorum auxilio Potanou ſuum hoſtem ſuperat.
14 Outinæ in bellum proficiſcentis militaris diſciplina.
15 Outinæ milites ut cæſis hoſtibus utantur.
16 Trophæum & ſolennes ritus devictis hoſtibus.
17 Hermaphroditorum officia.
18 Mulierum quarũ mariti vel in bello cæſi, aut morbo ſublati poſtulata à Rege.
19 Mulierum extinctos maritos lugentium ceremoniæ.
20 Ægros curandi ratio.
21 Culturæ & ſationis ratio.
22 Floridenſes convehendis in publicum horreum fructibus diligentes.
23 Ferinæ, piſcium, & reliquæ annonæ illatio.
24 Piſces, ferinam, reliquam annonam uſtulandi ratio.
25 Ceruorum venatio.
26 Crocodilos conficiendi ratio.
27 Floridenſium in inſulas trajectus, ut genio indulgeant.
28 Conviviorum apparatus.
29 Qua ratione Floridenſes de ſeriis rebus deliberant.
30 Oppidorum apud Floridenſes ſtructura.
31 Hoſtium oppida noctu incendendi ratio.
32 Excubitorum ſocordia ut punitur.
33 Bellum denunciandi ratio.
34 Primogeniti ſolennibus ceremoniis Regi ſacrificantur.
35 In cervi exuvio Soli conſecrando ſolennes ritus.
36 Iuventutis exercitia.
37 Qua pompa Regina delecta ad Regem deferatur.
38 Qua ſolennitate Regina à Rege excipiatur.
39 Regis & Reginæ prodeambulatio recreandi animi gratia.
40 Ceremoniæ in Regis & Sacerdotum funere obſeruatæ.
41 Auri legendi ratio in rivis è montibus Apalatcy decurrentibus.
42 Petri Gambie Galli cædes.

To the Lady
Lir Crawford, 11.

INDORVM FLORIDAM PROVINCIAM INHABITANTIVM EICONES, PRIMVM IBIDEM AD vivum expreſſæ à IACOBO LE MOYNE, cui cognomen DE MORGVES:

Addita ad ſingulas brevi earum declaratione.

Nunc verò recens à THEODORO DE BRY Leodienſe in æs inciſæ, & evulgatæ.

Cum gratia & privil. Cæſ. Maieſt. ad quadriennium.

ANNO CHRISTI M.D.CIX.

RPJCB

Floridæ Promontorium ad quod Galli appellunt, Gallicum ab illis nuncupatum. I



Galli prima in Floridam provinciam navigatione, ad Promontorium appulerunt non in ſublime elatum, (planum enim erat littus) ſed prælaltarum arborum ſyluis obſitum, quod in honorem Galliæ, Promontorium Gallicum *à Claßis Præfecto fuit nuncupatum, triginta circiter gradibus ab Æquatore diſcretum. Inde ad Septentrionem littus legentes, latum & amœnum flumen invenerunt; ad cuius oſtia anchoras jecerunt, ut poſtridie diligentius obſervarent: vocavit Laudonnierus in ſecũda navigatione, hoc flumen* **Delphinorum amnem**, *quod iſtuc appellens plurimos Delphinos in eo natantes vidiſſet. Ad fluminis ripas appellentes, multos Indos conſpexerunt, qui eo ſe contulerant, ut ipſos perhumaniter & amicè exciperent: quemadmodum re ipſa experti ſunt, aliquot ibicum coriis ipſorum Præfecto donatis, polliciti ſunt etiam ſuum Regem demonſtraturos, qui tum illis non adſurrexerat, ſed ramis lauri & palmarum ſubſtratis adhuc inſidebat. Is Præfectum donavit magna pelle undique variorum animalium ſylueſtrium ad vivum expreſſorum genere exornata.*

RPJCB

Gallorum ad Maij flumen navigatio. II.



CONSCENSIS denuo ſcaphis aliò navigarunt: & antè quàm appellerent, ab alia Indorum turba ſalutationibus excepti ſunt; qui ad humeros uſque flumen ingreſſi, parvos corbes mayzo, morisque albis & rubris plenos ipſis obtulerunt: aliis ad eos in continentem deferendos operam ſuam offerentibus: in quem delati, illorum Regem conſpexerunt, quem bini filij cum caterva Indorum arcu & pharetra ſagittis plena armatorum comitabantur. Mutuis ſalutationibus peractis, in ſyluas profecti ſunt, multa ſingularia iſtic ſe reperturos ſperantes: ſed nihil præter arbores rubra & alba mora ferentes obſeruarunt, quarum faſtigia multi bombyces occupabant. Id autem flumen Maij nomine indigetarunt; quoniam eius menſis primo die conſpectum ab ipſis fuit.

RPJCB

Galli Maio relicto, duos alios amnes obſervant. III.



PAVLO poſt in naves regreſsi, ſublatis anchoris, ulterius ſecundum littus navigarunt, donec in amœnum flumen inciderent, quod ipſe Præfectus obſervare voluit cum eius loci Regulo & indigenis, illique Sequanæ nomen indidit: quia Sequanæ Galliæ fluvio admodum ſimile eſſet: diſtat autem à Maij flumine circiter quatuordecim leucis. Deinde in naves regreſsi, ulterius ad Septentrionem navigarunt. Sed non procul digreſsi, aliud ſatis elegans flumen repererunt, cuius obſeruandi cauſa binas ſcaphas inſtruxerunt. In eo Inſulam invenerunt, cuius Rex ſuperioribus non minus humanus fuit. Flumini Axonæ nomen inditum: diſtat verò à Sequana ſex miliaribus.

RPJCB

Sex alia flumina à Gallis obſervata. IIII.



INDE navigantes, & circiter ſex milia emenſi, alium amnem invenerunt, cui Ligeris nomen impoſitum: deinde alios quinque ſubſequenter, quorum primus CHARENTA, *alter* GARVMNA, *tertius* GIRVNTA, *quartus* BELLVS, *quintus* GRANDIS, *appellati. Quibus diligenter obſervatis, & conſpectis, minore quam ſexaginta miliarium ſpatio, plurimis ſingularibus rebus ſecundum novem flumina: ijs tamen non contenti, magis adhuc ad Septentrionem progreßi ſunt, iter ſequentes, quod ad* JORDANEM *flumen, totius fere Septentrionis elegantißimum, eos perducere poſſet.*

RPJCB

Galli ad Portum Regalem perveniunt. V.



*I*TER *ſolitum perſequentes, amnem invenerunt. quem* Conſpectu bellum *nuncuparunt: dein tria aut quatuor miliaria ulterius emenſi cum eſſent, ipſis ſignificatum, non procul inde abeſſe latum aliud flumen magnitudine & amœnitate reliqua ſuperans: quo progreßi, ob eius amœnitatem & amplitudinem Regalem portum appellarunt. Iſtic ſubductis velis, anchoras ad decem orgyias jecerunt: deſcenſione à Præfecto & militibus in continentem facta, amœnißimum eſſe locum compererunt: nam quercubus, cedris, & aliis arborum generibus conſitus erat. Per quas incedentes, Indicos pavones, ſive Galli-pavos præter volantes, & cervos per ſyluam errantes conſpiciebant. Huius fluminis oſtium latum eſt tribus Gallicis leucis ſive miliaribus, & in duo cornua dividitur; quorum alterum ad Occidentem vergit, alterum ad Septentrionem, idque (ſecundum quorundam opinionem) interiora regionis penetrans, ad flumen* Iordanem *tendit: alterum in mare relabitur, ut ab inquilinis obſeruatum eſt. Patent hæc bina cornua magnis duobus miliaribus in latitudinem, & in eorum medio inſula eſt, cujus cuſpis fluminis oſtium ſpectat. Paulo poſt navi denuo conſcenſa, cornu ad Occidentem ſe convertens ingreßi ſunt, ut ejus commoditates obſervarent: & emenſis circiter duodecim miliaribus, Indorum catervam conſpexerunt, qui ſcaphis animadverſis, illico fugæ ſe mandarunt, relicto quem aſſabant lupi cervarij catulo: cujus rei cauſa eum locum Lupi promontorium appellarunt. Vlterius navigantes, in aliam fluminis diuiſionem inciderunt, ab Oriente labentem, per quam Præfectus, relicto majore alveo, navigare ſtatuit.*

RPJCB

Gallorum Præfectus columnam, in qua Regis Galliarum inſignia, ſtatuit. VI.



IN naves tamen regreſſi, & in illis traducta unica nocte, Præfectus limitem columnæ inſtar exciſum, in quo ſculpta erant Regis Galliæ inſignia, in cymbam exonerari jubet, ut eum amœniſſimo aliquo loco collocaret: quo peracto, & tria circiter miliaria in Occidētem verſus emenſi, fluviolum obſervarunt, quem ingreſſi tamdiu navigarunt, ut tandem in majorem fluminis alveum relabi, atque parvam inſulam à continente ſejunctam conficere, compererint. In hanc deſcendentes, perſpecta ejus ſumma amœnitate, ex Præfecti mandato, columna in nudo quodam tumulo collocata fuit: deinde binos ingentis magnitudinis cervos, præ ijs quos hactenus conſpexerunt, invenerunt, quos facile tormentaria pyxide occidiſſent, niſi Præfectus, ſingulari eorum magnitudine delectatus, vetuiſſet: antequam vero cymbam conſcenderent, fluviolo parvam inſulam cingēti Liburni nomen indiderunt. Conſcenſa cymba, aliam inſulam non procul à prima diſſitam perluſtrare voluerunt: ſed cùm in ea nihil præter celſiſſimas cedros, quibus pares in ea regione non viderant, reperiſſent, Cedrorum inſulam propterea appellarunt; deinde ad ſua navigia reuerſi ſunt. Parva inſula in qua columna erecta fuit, hac nota F. inſignita eſt.

RPJCB

Galli in Caroli propugnaculo relicti, annonæ penuria laborant. VII.



P*AVLO poſt Præfecti Ribaldi è Florida abitum, qui in* Charles fort *propugnaculo ſupra fluviolum, inſulam, quæ in majore Portus Regalis alveo Septentrionem ſpectante ſita eſt, ingredientem, ab ipſo extructo, relicti fuerant, annonæ penuria laborare cœperunt, varijs igitur exquiſitis ſententiis, qua ratione his difficultatibus occurri poſſet, nihil conſultius futurum cenſuerunt, quam ad Regem* Ouadé, *&* Couëxis *ipſius fratrem proficiſci: ea de cauſa aliquot è ſuis ad eos ablegarunt, qui indica cymba per regionis interiora circiter decem miliaria progreßi, elegans & magnum flumen aquæ dulcis invenerunt, in quo plurimos Crocodilos Niliacis longe maiores obſervarunt: fluminis ripæ celſis cupreſſis ſunt obſitæ. Paulululum eo loco commorati, deinde vlterius progreßi, ad Regem* Ouadé *peruenerunt: à quo perhumaniter excepti, ſui aduentus cauſam ipſi expoſuerunt, orantes ne in tanta neceßitate eos deſereret. Hac re intellecta, legatos ad fratrem* Couëxis *mittit petitum mayzum & fabas. Quod ille ſine mora fecit: nam poſtridie ſummo mane legati cum commeatu reverſi, & iubente Rege annona in cymbam illata, Galli plurimum hac Regis liberalitate gaudentes, valedicere voluerunt: verum ille non permittens, eo die apud ſe retinuit, & genialiter eos habuit. Poſtridie mane demonſtratis milij ſive mayzi agris, ſignificauit, ne penuria ſe premi ſinerent, quamdiu id milium ſupereſſet: deinde à Rege dimiſſi, eadem via, qua advenerant, ad ſuos redierunt.*

RPJCB

Columnam à Præfecto prima navigatione locatam venerantur Floridenſes. VIII.



8.

CVM Galli in Floridam prouinciam, ſecunda navigatione inſtituta duce Laudonniero, appuliſſent, ipſe comitibus quinque & viginti pyxidarijs in continentem deſcendit, ſalute ab Indis accepta (nam catervatim ad eos conſpiciendos advenerant) Rex Athore quatuor aut quinque miliaribus à maris littore habitans etiam venit, & muneribus datis & acceptis, omnique humanitatis genere exhibito, indicauit ſe ſingulare quidpiam ipſis demonſtrare velle, propterea orare ut una proficiſcerentur: adſentiuntur, quia tamen magno ſubditorum numero cinctum videbant, caute & circumſpecte cum eo profecti ſunt. Jlle vero eos in inſulam deduxit, in qua Ribaldus ſuper tumulo quodam ſaxeum limitem inſignibus Regis Galliæ inſculptum poſuerat. Proximi facti, animadverterunt Indos hoc ſaxum non ſecus atque idolum colere: nam ipſe Rex eo ſalutato, & exhibito qualem à ſuis ſubditis accipere ſolet honore, oſculum fixit, quem imitati ſunt ipſius ſubditi, ut idem faceremus adhortati. Ante ſaxum jacebant varia donaria fructibus ejus regionis & radicibus edulibus, vel ad medicum uſum utilibus conſtantia, vaſaque plena odoratis oleis, arcus & ſagittæ: cinctum etiam erat, ab imo ad ſummum, florum omnis generis corollis, & arborum apud iſtos ſelectiſſimarum ramis. Perſpecto miſerorum horum barbarorum ritu, ad ſuos redierunt obſervaturi commodiſsimum ad propugnaculum extruendum locum. Eſt vero hic Rex Athore formoſus admodum, prudens, honeſtus, robuſtus & proceræ admodum ſtaturæ, noſtrorum hominum maximos ſeſquipede ſuperans, modeſta quadam gravitate præditus, ut in eo majeſtas ſpectabilis reluceat. Cum matre matrimonium contraxit, & ex ea plures liberos utriuſque ſexus ſuſcepit, quos percuſſo fœmore nobis oſtendit: poſtquam vero ipſi deſponſata fuit, parens ejus Satourioua illam amplius non attigit.

RPJCB


Galli locum condendæ arci aptum deligunt.



OBSERVATIS multis ejus regionis fluminibus, tandem itum eſt in eam ſententiam, potius ad flumen Maii deligendas eſſe ſedes, quam ad aliud ullum flumen: quia jam animadverterant illud præ reliquis milio & farina abundare, præter aurum & argentum quod iſtic in prima navigatione repertum eſt: curſum igitur ad id flumen direxerunt, in quo cum navigaſſent ad locum quendam monti vicinum, commodior æſtimatus eſt ille locus ad arcem condendam, quam ullus alius hactenus ab ipſis conſpectus. Poſtridie ſummo diluculo, fuſis ad Deum precibus, & actis gratijs de felici in eam prouinciam adventu, omnes alacres ſunt redditi: deinde plana area in triquetram formam dimenſa, ſinguli manum operi admovere cœperunt; alij terram evertendo, alij faſces ex virgultis cæſis componendo, alij vallum conficiendo: nemo enim adfuit qui palam, ſerram, ſecurim, aliudve inſtrumentum non haberet, cum ad arbores cædendas, tum ad arcem inſtruendam, eaque diligentia adhibita eſt, ut brevi opus procederet.

RPJCB

Arcis Carolinæ delineatio.



REDVCTA *igitur in triangulum arce, quæ* Carolina *poſtea nuncupata eſt, latus Occidenti obiectum & continentem ſpectans, exigua foſſa & vallo ex ceſpitibus conſtante novem pedum altitudine claudebatur; aliud latus flumini objectum tabulis & cratibus ſeptum fuit. Latere Meridiem ſpectante veluti propugnaculum quoddam aſſurgebat, in quo horreum ad annonam recondendam exſtructum. Omnia ex faſciculis & ſabulo conſtabat præter valli ſuperiorem partem, quæ ex ceſpitibus duos aut tres pedes altis erat. Jn media arce ampla fuit area decem & octo paſſus longa, totidem lata, in cuius meditullio ad partem Meridiei obverſam locus ad militum ſtationem paratus: parte vero ad Septentrionem vergente ædificium, quod, quoniam altius quam par erat, fuit exſtructum, paulo poſt ventus disjecit: noſque experientia docuit, humilioribus contignationibus fabricanda eſſe ædificia in ea regione magnis ventis obnoxia. Erat præterea alia area ſatis capax, cuius alterum latus ipſam claudens horreo ſupra dicto contiguum erat, & in altero latere amnem ſpectante Laudonnieri domicilium porticu circumquaque cinctum. Huius anterior janua majorem aream ſeu forum reſpiciebat, poſticum autem, flumen. Satis procul ab arce furnus exſtructus ad vitanda incendia: cum enim ædes palmarum ramis eſſent tectæ, facilime ignem concepiſſent.*

RPJCB

Ceremoniæ à Saturioua in expeditionem aduerſus hoſtes profecturo, obſervatæ. XI.



IN *ſecundæ Nauigationis compendio dictum eſt, Gallos cum* Saturioua *Rege potente eorum vicino fœdus & amicitiam contraxiſſe, ut arcem in ejus ditione extruere poſſent, atque ipſius amicis amicos, hoſtibus vero hoſtes futuros; præbituros etiam aliquot pyxidarios offerente ſe occaſione. Tribus igitur circiter menſibus ab inito fœdere mittit ille Legatos ad Laudonnierum pyxidarios ex fœdere poſtulatum: bellum enim adverſus ſuos hoſtes ſe gerere velle. Laudonnierus miſſo ad eum Caillio Centurione cum aliquot militibus humaniter oſtendit ſe nullos milites tum temporis mittere poſſe, quod ſperaret ſe hoſtem ei conciliaturum. Ille indignatus tali reſponſo (nam expeditionem differre non poterat, cum annonam neceſſariam comparaſſet, & vicinos Reges jam in ſubſidium cõvocaſſet) profectionem ſtatim inſtituit. Præſentibus ergo ijs qui à Laudonniero miſſi fuerant, milites pro conſuetudine Indica pennis & aliis rebus ornatos in planiciem accerſit, vicini Regi facti ipſum cingentes in orbem conſederunt, Rege in medio relicto: deinde accenſa ad latus ejus ſiniſtrum pyra, & collocatis ad dextram magnis duobus vaſis aqua plenis, Rex veluti ira percitus oculos contorquens, gutture quidpiam ſubmurmurans, varioſque geſtus faciens, ſubinde horrendos clamores edebat, eoſdem clamores iterabant milites, cum armorum ſtrepitu coxas ferientes. Ille deinde accepta lignea lance ad Solem ſe obvertit venerabundus, & victoriam adverſus hoſtes ab eo petens: utque nunc ſparſurus erat eam aquam quam lignea lance hauſerat, ſic hoſtium ſanguinẽ effundere poſſit. Magno igitur impetu aqua in aërem conjecta, & in ſuos milites recidente, addebat, ut ego de hac aqua feci, idem de veſtrorum hoſtium ſanguine facere poſſitis exopto. Effuſa autem in ignẽ quæ in altero vaſe erat aqua, inquit, ſic veſtros hoſtes extinguere, & captis ipſorum cutẽ referre queatis. Inde ſurrexerunt, & terra flumineque adverſo in expeditionẽ profecti ſunt.*

RPJCB

Outina adverſus hoſtem exercitum ducens, de eventu Magum conſulit. XII



LAVDONNIERVS receptos aliquot Regis Holata Vtina ſive Outina, circiter quadraginta miliaribus à Gallorum arce verſus Meridiem habitantis, ſubditos, qui ſuperiore expeditione à Satourioua ejus hoſte capti fuerant, ad ſuum Regem remiſit; qui ſolenni fœdere cum illo icto, mutuam amicitiam ſe conſeruaturos polliciti ſunt. Ictum eſt id fœdus, quia per eius Regis ditionem, & terreſtri itinere, & adverſis fluminibus aditus ſolum patebat ad montes Apalatcy, in quibus naſcitur aurum, argentum, & æs: vt illius Regis amicitia (quæ vix annua fuit) freti Galli liberius ad eos montes penetrare poſſent. Conſtante adhuc amicitia à Laudonniero petijt aliquot pyxidarios milites, cupere enim bellum hoſti inferre: miſſi viginti quinque duce Ottignio Laudonnieri legato. Rex advenientes magna lætitia excepit, eorum opera victoriam adverſus hoſtem ſibi promittens: quia tormentariorum pyxidum fama per vicinas regiones vagata erat, & terrorem incutiebat. Rege igitur ad expeditionem parato, profecti ſunt: primo die expeditum fuit iter: altero difficile admodum, propter loca paludoſa, ſpiniſque & vepribus obſita; qua adeo cauſa Indi Gallos humeris geſtare coacti ſunt, magno ſane eorum commodo ob immodicos calores, tandem ad hoſtium limites pervenerunt. Tum Rex exercitu ſubſiſtere juſſo, ſenem Magum centum & viginti annos ſuperantem advocauit, & quo in ſtatu res hoſtium ſint, pronunciare jubet. Magus locum in medio exercitus parat, & conſpecto Ottignij, quod puer ejus geſtabat, ſcuto, petere illud jubet, impetratum humi collocat, orbe quinque pedum diametri circum illud ducto, additis quibuſdam characteribus & notis: tum in ſcutum genubus flexis pedum calcaneis inſedit, ſic ut nulla parte humum tangeret, & neſcio quid ſubmurmurans, varios geſtus exprimebat, tamquam in vehementem aliquam orationem incumberet, quá ad quadrantem horæ producta, illico tam horrendus apparuit, ut humanã effigiem amplius non exprimeret: nam ita omnes artus contorquebat, ut oſſa diſſolvi exaudirentur, denique præter naturam multa faciebat. His peractis, momento in priſtinum ſtatum redijt, laſſus tamen admodum & quaſi attonitus: deinde circulo egreſſus, Regem ſalutavit, ipſique indicauit hoſtium numerum, & quo loco illum expectarent.

RPJCB

Outina Gallorum auxilio Potanou ſuum hoſtem ſuperat. XIII.



EA res adeò Regem perterruit, ut non de hoſte adoriendo, ſed de ſuo reditu cogitaret: At Ottignius valde indignatus ſe tantum laboris ſumpſiſſe, ut nulla re memorabili geſta reverteretur, dixit, ſe illum vilis & nullius animi Regis loco habiturum, niſi fortunam periclitaretur: tandem jurgijs atque etiam minacibus verbis eum adegit, ut hoſtem adoriretur. Gallos tamen in prima acie, ipſis non abnuentibus collocavit: & niſi totum onus pugnæ illi ſuſtinuiſſent, plurimos hoſtes mactando, & Regis Potanou *exercitum in fugam vertendo, haud dubiè* Outina *ſuperatus fuiſset: nam verum apparuit quod Magus prædixerat, quem certum eſt à dæmone fuiſſe obſeſſum.* Outina *porro hoſtium fuga contentus, ſuos revocauit, & domum redire juſſit, multùm fremente Ottignio, qui victoriam proſequi maluiſſet.*

Outinæ in bellum proficiſcentis militaris diſciplina. XIV.



REGE Saturioua *ad bellum proficiſcente, ejus milites nullum ordinem ſeruant, ſed ſparſi hinc inde diſcurrunt alij alios ſequentes. Contra ejus hoſtis* Holata Outina, *cujus iam memini, quod multorum Regum* Regem *ſignificat, lõge eo potentior ſubditorum numero & divitiis, progreditur ſervatis ordinibus veluti inſtructa acie, ſolus in medio agmine conſiſtens, rubro colore pictus: agminis alæ ſiue cornua ex adoleſcentibus conſtant, quorum maxime agiles, rubro etiam colore picti curſorum & exploratorum munere funguntur, ad hoſtium copias explorandas: nam horum veſtigia perinde naribus percipiunt, atque canis feræ alicuius, & cognitis hoſtium veſtigiis ſtatim ad exercitum ſignificatum recurrunt. Porro ut tubis & tympanis noſtri homines in exercitu utuntur ad ſignificandum quid facto opus ſit: ſic apud eos præcones ſunt, qui certis clamoribus indicant quando ſubſiſtendum aut progrediendum, hoſti obviam eundum, aut aliquod militare munus obeundum. Poſt Solis occaſum ſubſiſtunt, nec vnquam pugnare ſolent. Caſtra autem ponere volentes per decurias diſtribuuntur, maxime ſtrenuos ab alijs ſegregantes: delecto à Rege Caſtrorum loco in agris vel ſyluis ad noctem traducendam, & illo jam cœnato & ſolo ſedente, caſtrorum metatores decem ſtrenuiorum decurias in orbem circum Regem collocant: circiter decem inde paſſus aliæ viginti decuriæ etiam in orbem eos claudunt: viginti vero ab illis paſſus, aliæ quadraginta decuriæ collocantur, & ita deinceps decuriarum & paſſuum numerum augendo pro exercitus copia & magnitudine.*

Outinæ milites ut cæſis hoſtibus utantur. XV



*Q*VAMDIV *Galli cũ magno Rege* Holata Outina *in bello quod adverſus hoſtes geßit, verſati ſunt, numquam pugna commiſſa eſt, quæ legitime prælium appellari poſſit: ſed omne eorum bellum aut clandeſtinis occupationibus, aut turmarum velitationibus conſtat, ſubmiſſis ſemper in eorum qui regrediuntur locum recentioribus. Qui primus hoſtem cædit vel etiam viliſsimum, victoriam ſibi adſcribit, licet maiorem militum numerum amittat. In iſtis velitationibus, qui occumbunt ſtatim extra caſtra abripiũtur ab ijs quibus commiſſa eſt hæc cura, & arundinis fragmentis, exactioris quam ullus culter aciei, à fronte in orbem ad occiput, capitis cutim ad cranium vſque ſecant; eamque totam detrahunt, hærentibus adhuc capillis cubito longioribus in nodum ſupra caput collectis; & qui ſupra frontem & occiput ſunt, reſectis in orbem ad duorum digitorum longitudinem, pileorum limbi inſtar; ſtatim (ſi tantum eſt otij) egeſta terra foramine facto ignem excitant, quem muſco exceptum, plicis pellis, quæ illis cinguli loco eſt, involutum ſemper geſtare ſolent, igne accenſo, cutim deſiccant, & membranæ inſtar indurant. Pugna etiam commiſſa ijſdem arundineis cultris cæſorum brachia ſub humeris & crura ſub coxis incidere ſolent, oſſaque nudata palo frangere, deinde eorum confractas & ſanguine fluentes partes eodem igne uſtulando reſiccare: tum ea, capitiſque cutim de ſummis pilis ſuſpenſa domum triumphantium modo deferre. Vnum ſum miratus (nam ex eorum numero, qui à Laudonniero mißi fuerunt Ottignio duce, fui) numquam eos pugnæ loco excedere, quin cadaveribus hoſtium ſic mutilatis, ſagittam per anum ad ſummum uſq; traijciant: quod ſanè non ſine magno periculo interdum fieret, niſi qui ad hoc munus ſunt delegati, perpetuò turmam militum auxiliarem haberent.*

RPJCB

Trophæum & ſolennes ritus devictis hoſtibus. XVI



Domum è bello regreſſi, certum locum habent in quem convenire ſolent: eò conferunt crura, brachia, capitiſque cutim hoſtibus adempta, & ſolenni cum pompa, ea prælongis palis in terram ſerie quadam defixis imponunt: deinde viris & mulieribus in orbem ante hæc membra ſedentibus, Magus imagunculam manu tenens, conſueto more mille imprecationibus ſubmurmuratis, hoſtes deteſtatur. Ex adverſo ad areæ extremum, tres viri genibus flexis ſedent, quorum unus clavam utraque manu tenens planum lapidem percutit, ad ſingula magi verba reſpondens: ejus latera claudunt alij duo, ſingulis manibus fructum herbæ cujuſdam, cucurbitæ aut peponis inſtar creſcentis, tenentes, quem ſiccatum ſupernè & infernè aperiunt, medullaque & ſeminibus exemptis, lapillis aut granis implent, baculoque transfixo agitantes tintinnabulorum modo crepitant, patrio ritu canentes poſt Magi murmura. Hos dies feſtos celebrare ſolent, quotieſcunque aliquos hoſtes ceperunt.

RPJCB

Hermaphroditorum officia. XVII



FREQVENTES iſtic ſunt Hermaphroditi utriuſque naturæ participes, ipſis etiam Indis exoſi; eorum tamen opera, quòd robuſti & validi ſint, ad onera ferenda utuntur jumentorum loco. Proficiſcentibus ergo ad bella Regibus, hermaphroditi añonam ferunt: & defunctis ex vulnere vel morbo Indis, illi ipſi binis longurijs ſatis firmis, baculos transverſos imponere, atque his ſtoriam è tenuibus ſcirpis contextam alligare ſolent, cui defunctum ſuperimponunt, pelle capiti ſubſtrata, altera ſupra ventrem alligata, tertia ſupra coxam, poſtrema ſupra crus (quare id faciant non ſum ſciſcitatus, magnificentiæ tamen cauſa fieri arbitror; quandoquidem ſingulos non ita exornant, ſed crus dumtaxat obligare ſolent) deinde coriacea cingula tres aut quatuor digitos lata ſumunt; quorum extremis ad longurios aptatis media capiti, quod illis prædurum eſt, applicant; atque ſic defunctos geſtant ad ſepulturæ locum. Contagioſo aliquo morbo affecti, etiam ab hermaphroditis humeris ad loca deſtinata feruntur, atque ab ijſdem curantur & neceſſaria accipiunt, donec ſanitati plene reſtituantur.

RPJCB

Mulierum, quarum mariti vel in bello cæſi, aut morbo ſublati poſtulata à Rege. XVIII.



EORVM qui in bello occubuerunt, vel morbo extincti ſunt, uxores convenire ſolent eo die, quem magis opportunum ad Regem compellandum cenſent; ad quem accedentes cum magno mœrore & ejulatu, calcaneis inſident, & manibus faciem obtegẽtes, magnis clamoribus & queſtubus, defunctorum maritorum vindictam petunt à Rege & ſubſidium quo in viduitate vitam tolerare queant, & ut tempore per leges præfixo denuo illis nubere liceat. Rex earum miſertus, poſtulata concedit: illæ domum revertuntur flentes & plangentes, in amoris quo maritos proſequebantur, indicium: conſumptis in eo luctu aliquot diebus, ad maritorum ſepulcra, ipſorum arma & poculum ex quo bibebant deferentes, denuo flent, atque alias muliebres ceremonias peragunt.

JCB

Mulierum extinctos maritos lugentium ceremoniæ. XIX



AD maritorum ſepulcra pervenientes, capillos ſub auribus præſecant, illiſque per ſepulcra ſparſis, maritorum arma & conchas ex quibus bibebant ibidem abijciunt, in ſtrenuorum virorum memoriam. His peractis domum redeunt, ſed ad ſecundas nuptias convolare nequeunt, donec capilli renaſcantur tam longi, ut humeros tegere poſſint. Digitorum in manibus & pedibus ungues oblongos creſcere etiam ſinunt, illos per latera ſcalpentes ut præacuti reddantur, ſed viri præſertim: nam ſi quem ex hoſtibus apprehendere poſſunt, unguibus in ejus frontem valide infixis, cutem detrahunt, eum cæcum & lacerum relinquentes.

JCB

Aegros curandi ratio.



MORBOS iſta ratione curare ſolent. Oblonga lataque, ut in hac icone conſpici poteſt, fabricant ſcamna, quibus ægros pronos vel ſupinos imponunt, pro morbi quo correpti ſunt natura: deinde conchula præacuta frontis cutim aperientes, ſanguinem ore exſugunt, & in vas aliquod fictile, vel lagenas è cucurbita conſtantes reijciunt. Feminæ parvulos maſculos lactantes, vel alioqui gravidæ, hunc ſanguinem, præſertim robuſti alicujus adoleſcentis, potatum veniunt, ut earum lac præſtantius reddatur, & pueri eo educati audaciores & ſtrenuiores evadant. Aliis in ventrem incumbentibus ſuffumigia fiunt, conjectis ſupra prunas aliquot granis: nam fumus per os & nares receptus per univerſum corpus diſtribuitur, & vomitum ciet, aut pellit & profligat morbi cauſam. Quandam etiam plantã habent cujus nomen excidit, Braſiliani Petum, Hiſpani Tapaco appellant: hujus folia probè ſiccata laxiori tubuli parti imponunt, eorum incenſorum fumum anguſtiore tubuli parte ori admota attrahunt tam validè, ut per os & nares illis egrediatur, & eadem opera abundè humores eliciat. Præterea lui venereæ ſunt admodum obnoxij, ad quam curandam ſua etiam habent remedia, quæ natura illis ſuppeditavit.

Culturæ & ſationis ratio. XXI



DILIGENTER colunt terram Indi, eam ob cauſam ligones è piſcium oſſibus parare norunt viri, quibus manubria lignea aptantes, terram fodiunt ſatis facilè, nam mollior eſt: ea deinde probè confracta & æquata, feminæ fabas & milium ſive Mayzum ſerunt, præeuntibus nonnullis quæ defixo in terram baculo foramina faciunt, in quæ fabæ & milij grana inijciantur. Facta ſemente, agros relinquunt. nam eo tempore hiemis fugiendæ cauſa, quæ ſatis frigida eſt, utpote regione inter Occidentem & Septentrionem ſita, & circiter trimeſtre durat, nempe à 24. Decembris ad decimum quintum Martij, ij nudi incedentes in ſylvas ſe abdunt. Tranſacta hieme, domum redeunt, expectantes ſementis maturitatem. Meſſe confecta fructus recondunt in totius anni uſum, nullum mercimonium ex ijs facientes, niſi forte ob vilem aliquam ſupellectilem permutatione facta.

PJCB

Floridenſes convehendis in publicum horreum fructibus diligentes. XXII



SVNT in ea regione plurimæ inſulæ, varij generis fructus abunde producẽtes, quos bis in anno legunt, & cymbis impoſitos domum vehunt; deinde in laxum ſed humile horreum recondunt è lapidibus & terra extructum; cui tectum è denſis palmarum ramis & molli terra ad eam rem apta conſtans, imponitur. Tale horreum plerumque ſub aliquo monte aut rupe flumini vicina extruitur, quo ſolis radij non penetrant, ut fructus à corruptione facilius conſerventur. In illud etiam inferunt alios fructus quos adſervare cupiunt, & reliquam annonam, quam inde petunt cum opus habent, nullo ab aliis ſe fraudandos iri metu ſolliciti. Optandum ſane eſſet, ut inter Chriſtianos avaritia non magis regnaret, & hominum animos torqueret.

RPJCB

Ferinæ, piſcium, & reliquæ annonæ illatio.



CERTO etiam tempore, omnis ferinæ genus, piſces, atque etiam crocodilos coacervant ſingulis annis: corbibus deinde impoſitos, hermaphroditorum ſatis promiſſos, criſpoſque capillos geſtantium, quorum ante memini, humeris imponunt, & in horreũ iam dictum ferunt: hanc autem annonã non niſi extrema neceſſitate attingunt: atque tum ut omnis diſsidij tollatur occaſio, alter alteri id ſignificat, adeo pacificè inter ſe vivunt. Regi tamen licet, quantum volet, inde auferre.

RPJCB

Piſces, ferinam, reliquam annonam uſtulandi ratio. XXIIII



HÆc autem animalia ut diutius adſervari poßint, in hunc modum præparare ſolent. Quatuor ligneis & craßis furcis in terram defixis alia ligna imponunt cratis in modum, ſupra quam animalibus & piſcibus explicatis, ignem ſubſtruunt, ut fumo indurari poßint: magnam porro adhibere ſolent curam ad diligenter & exquiſitè indurandum, ut facilius à corruptione ſervari queant, quemadmodum ex hac pictura videre licet. Hanc vero annonam comparari exiſtimo ad vitam menſibus hibernis, quibus in ſyluis deliteſcunt, traducendam: nam eo tempore numquam ab illis vel minimum quidpiam impetrare potuimus. Propterea, ut dixi, annonæ horreum ſub rupe vel ſcopulo aliquo, ſecundum flumen, nec procul à magna quapiam ſylva extructum eſt, unde, cùm opus eſt, parvis cymbis eam ferant.

RPJCB

Cervorum venatio. XXV




25.

INDVSTRIA ad cervos capiendos utuntur Indi, numquam à nobis ante conſpecta: maximorum quos capere potuerunt cervorum pelles ita corpori applicare norunt, caput ſuo capiti accommodantes, ut per oculorum foramina, tamquam per larvam, conſpicere poſſint; ita compti quam proximè poſſunt, ad cervos nihil metuentes accedunt; prius tempore obſervato, quo cervi ad flumen bibendi cauſa eunt: eos, arcum & ſagittam manu tenentes, facile figere poſſunt, cùm frequentes ſint admodum in ea regione: arboris tamen cortice ſiniſtrum brachium muniunt, ne ab arcus nervo lædantur, à natura ita edocti. Pelles vero cervis detractas, non chalybe, ſed conchis adeo accuratè parare norunt, ut mirum ſit: nec quemquam in univerſa Europa inveniri exiſtimo, qui tanta arte eas parare queat.

RPJCB

Crocodilos conficiendi ratio.



CROCODILIS hoc modo bellum inferunt: caſulam rimis & foraminibus plenam apud flumen faciunt, in qua vigil, qui Crocodilos procul conſpicere & exaudire poteſt: nam fame preſsi è fluminibus & inſulis reptant prædæ cauſa; qua non inventa tam horrendum clamorem edunt, ut per dimidij miliaris ſpatium exaudiri queat. Tum vigil excubitores convocat ad id paratos: illi deni aut duodeni longam arborem corripientes huic vaſto animali obviam procedunt (hiante rictu ſi quempiam illorum apprehendere poſſet adrepenti) atque ſumma agilitate tenuiorem arboris partem quàm altiſsimè poſſunt in rictum ejus adigunt, ut inde ob inæqualitatem & corticis ſcabritiem eximi nequeat. Crocodilum igitur in dorſum obvertentes, ejus ventrem, qui mollior eſt, clavis & jaculis feriunt & aperiunt; dorſo enim ob duras quibus tectum eſt ſquamas impenetrabilis eſt, præſertim ſi vetulus eſt. Hæc eſt apud Indos ratio venandi Crocodilos, à quibus adeo moleſtantur, ut noctu & interdiu non minus excubias agere cogantur, quàm nos adverſus infenſiſſimos hoſtes.

RPJCB

Floridenſium in inſulas trajectus, ut genio indulgeant. XXVII



ABVNDAT ea regio amœniſsimis inſulis, ut ex primis picturis videre licet: flumina alta non ſunt, ſed aqua limpida & pura, vix ad pectus pertingit. Indi genio indulgere volentes cum vxoribus & liberis, in has inſulas, flumine trajecto, vel natatu (nam peritiſsimi ſunt natatores) vel gradiendo, qui parvos habent liberos, perveniunt. Matres enim ternos ſimul ferre poſſunt, minimum in humeris, altera manu brachium ejus tenentes, aliis duobus matrem ſub axilla amplectentibus; altera manu caniſtrum fructibus aut epulis ad veſcendum plenum ſublevatum geſtantes. Cùm vero ab hoſtibus ſibi metuant, viri arcum & ſagittas ferre ſolent; quæ ne madeant, pharetram crinibus capitis implicant, altera manu ſublevata arcum tenſum & ſagittam tenentes, ad defenſionem parati, ut ex hac pictura videre licet.

Conviviorum apparatus. XXVIII.



*C*ERTO *anni tempore, quo convivia inter ſe celebrare ſolent, delectos habẽt ad id munus coquos: ac primum magnum ac rotundum fictile vas (quod ipſi-met parare & adeo exactè percoquere norunt, ut in eo non minus ac in noſtris lebetibus aqua bullire poßit) ſupra craſſa ligna collocant, ignem ſubijciunt ipſorum aliquo flabellum ad ignem excitandum valde aptum, manu tenente: Præfectus coquorum quæ coquenda ſunt in ollam inijcit, alij aquam in foſſam ad purgandum infundũt, alius aquam vaſe, ſitulæ in modum facto, adfert. alter aromata cibis inſpergenda in plano aliquo lapide atterit; dum mulieres, ſeligendis ijs quæ ad culinam neceſſaria, ſunt occupatæ. Licet vero ſuo more magna agitent convivia, ſobrij tamen ſunt in edendo, inde fit ut longo tempore vivant. Nam ex iis Regulis unus mihi affirmavit, ſe trecentorum annorum ætatem habere; & patrem, quem mihi oſtendit, quinquaginta annis eum ſuperare: ut verum fatear, cum illum conſpicerem, oſſa humana pelle duntaxat tecta videre me putabam. Pudorem ſane incutiunt Chriſtianis, qui ſuis compotationibus & conviviis ſine moderamine celebratis, brevitatem vitæ ſibi accelerantes, merito deberent tradi in diſciplinam his barbaris hominibus & animantibus brutis ad ediſcendam ſobrietatem.*

RPJCB

Qua ratione Floridenſes de ſeriis rebus deliberant.



R*Ex cum nobilibus certis anni diebus quotidie mane convenire ſolet in publicum locum ad hoc de-
ſtinatum, in quo magna ſcamna quaſi in hemicyclum conſtructa, inter quæ aliud antrorſum pau-
lulum prominens novem truncis ligneis rotundis conſtans pro Regis ſede, in qua ſolus reſidet, ut
ab alijs dignoſci queat, eumque iſtic ſinguli ex ordine ſalutatum veniunt, ſenioribus ſalutationem
inchoantibus, utraque manu bis ad capitis altitudinem ſublata, atque proferentibus ha, he, ya,
ha, ha, reliquis autem reſpondentibus, ha, ha. Ut ſalutationem quiſque abſolvit, in ſcamnis ſeſ-
m concedit. Si de re aliqua ſeria agendum eſt, Rex* Iaüas, *hoc eſt, ſuos Sacerdotes accerſit, & ſeniores, à quibus ſin-
lorum ſententiam exquirit: etenim de nulla re quidquam ſtatuunt, quin primum aliquoties concilium convocent,
optimè deliberant ante quam ſtatuant. Interea Rex mulieribus imperat, ut Caſinam, hoc eſt potionem è quarun-
m ſtirpium folijs confectam, decoquant, quam deinde exprimentes tranſmittunt. Rege igitur & nobilibus in ſuis
mnis ſedentibus; quidam cor am Rege expanſis decuſſatim manibus ſtans, ipſi & reliquis qui hanc potionem ebi-
nt bene precatur: tum pocillator primum Regi hoc decoctum calidum in capace concha præbet, deinde (ſic imperan-
Rege) omnibus aliis ex ordine, in illa ipſa concha. Tanti æſtimant hanc potionem, ut nemini in hoc conventu eam
ere liceat, quin prius in bello fortem ſe præſtiterit. Præterea ea facultate prædita eſt hæc potio, ut ſimulatque hau-
fuerit, ſtatim ſudorem moveat. Eam ob cauſam qui continere non poſſunt, ſed reijciunt, ijs nulla res ardua com-
ttitur, aut munus aliquod militare creditur, tamquam inutilibus, cum ſæpenumero tres aut quatuor dies cibo ab-
nendum ſit: hac vero decoctione hauſta, viginti quatuor horis famem & ſitim ferre poſſunt, hinc fit ut in bellum
fecturis, hermaphroditi nullam aliam annonam ferant, quam cucurbiteas lagenas aut lignea vaſcula hoc decocto
na: quod licet corpora alat & roboret, caput tamen non tentat, ut à nobis, cum hujuſmodi convivia celebrarent,
ſervatum eſt.*

JCB

Oppidorum apud Floridenſes ſtructura. XXX.



SOLENT Indi hac ratione ſua oppida condere. Delecto aliquo loco ſecundum torrentis alicuius profluentem, eum quantum fieri poteſt complanant; deinde ſulco in orbem ducto, craſſos & rotundos palos duorum hominum altitudinis conjunctim terræ infigunt, circa oppidi ingreſſum circulum nonnihil contrahendo cochleæ in morem, ut aditum anguſtiorem reddant, nec plures quam binos conjunctim admittentem, torrentis etiam alveo ad hunc aditum ducto: ad huius aditus caput ſolet ædicula rotunda extrui, altera item ad eius finem, ſingulæ rimis & foraminibus plenæ, & eleganter pro regionis ratione conſtructæ. In his conſtituuntur vigiles viri illi, qui hoſtium veſtigia è longinquo odorantur: nam ſimulatque aliquorum veſtigia naribus perceperunt, adverſus contendunt, & ijs deprehenſis clamorem attollunt, quo exaudito incolæ ſtatim ad oppidi tutelam convolant; arcubus, ſagittis & clavis armati. Oppidi meditullium occupant Regis ædes nonnihil ſub terram depreſſæ ob ſolis æſtum: has cingunt nobiliorum ædes, omnes palmæ ramis leviter tectę, quia novem menſibus dumtaxat ijs utuntur, tribus aliis menſibus ut diximus in ſylvis degentes. Vnde reduces, domos repetunt: ſin eas ab hoſtibus incendio abſumptas reperiunt, novas ſimili materia exſtruunt, adeo magnifica ſunt Indorum palatia.

Hoſtium oppida noctu incendendi ratio. XXXI.



31

HOSTES enim vindictæ cupidi, noctu interdum quam maximo poſſunt ſilentio adveniũt, exploratum an excubiæ ſint ſomno oppreſſæ: ſi ſilere comperiunt, poſteriorem partem oppidi accedentes, & arborum muſco arido & pro eorum more parato ad ſagittarum ſpicula alligato ignem injiciunt, & ſagittas in oppidum emittunt, ut ædium tecta, palmarum ramis conſtantia, & æſtivis caloribus reſiccata comburant. Flagrantia tecta conſpicientes, quam celerrimè fugiunt, ante quam incolæ animadvertant: adeo enim agili ſunt curſu, ut difficulter adſequi eos liceat: præterea incendium ſatis negotij incolis præbet, ut ab eo ſe liberare & expedire queant. Hæc ſunt bellica Jndorum ſtratagemata ad hoſtium oppida vaſtanda: verum quidem eſt damnum leve eſſe, quandoquidem ſolo novas ædes exſtruendi labore conſtat.

F 2

Excubitorum ſocordia ut punitur. XXXII.



32.

CÆTERVM vigilum negligentia oppido igne abſumpto, ipſi hac ratione puniuntur. Rege in ſcamno ſedente ſolo, reliquis etiam proximæ poſt illum authoritatis aliud magnum ſcamnum hemicycli modo incurvum occupantibus, carnifex criminis reum coram Rege in genua procumbere jubet; deinde ſiniſtro pede in dorſum ejus impreſſo, & utraque manu clavam ex ebeno aut alio aliquo duro ligno factam lateribus in aciem deſinentem, tanta vi illius verticem ferit, ut caput fere dividat. Simili ſupplicio etiam afficiuntur alterius criminis rei, quod capitale apud eos cenſetur: vidimus enim binos ſimili ſupplicio affici.

Bellum denunciandi ratio. XXXIII.



BELLVM denuntiaturus Rex aliquis alteri ſuo hoſti, nullo feciali utitur qui bellum indicit; ſed ſagittas quarum ſummis capillorum promiſſorum flocci alligati, ſecundum publicas vias figere jubet: quemadmodum obſervavimus, cùm Regem Outinam *captum per ditionis ejus pagos circumducebamus, annonæ recuperandæ gratia.*

Primogeniti ſolennibus ceremonijs Regi ſacrificantur. XXXIIII.



MORIS apud illos eſt primogenitum maſculum Regi victimam offerre. Sacrificij autem die Regi ſignificato, locum adit ad id deſtinatum, ubi ſcamnum in quo ſedeat, & in media area truncus ligneus binos pedes altus, totidem craſſus: ante hunc pueri mater calcaneis inſidens, & manibus faciem tegens filij mortem deplorat. Cognatarum vel amicarum ejus primaria, puerum Regi venerabunda offert; deinde quæ matrem comitatæ ſunt feminæ in orbem conveniunt, & canendò ſaltant lætabundæ, mutuis manibus non apprehenſis: quæ puerum tenet, in medium illarum ſe infert ſaltans, & in Regis laudem quædam accinens. Interea ſex Indi ad id munus delecti ſeparatim in areæ quadam parte ſtant, & inter eos medius ſacrificus cum magnificentia quadam clavam tenens. Peractis ceremoniis, ſacrificus infantem capiens, Regi, coram omnibus, in ligneo illo trunco mactat. Nobis præſentibus ſemel peracta eſt ſimilis victima.

RPJCB

In ceruí exuvio Soli conſecrando ſolennes ritus. XXXV.



REGIS Outina ſubditi ſingulis annis paulo ante ipſorum ver, nempe ſub Februarij finem, maximi, quem capere potuerunt, cervi pellem cornua retinentem ſumunt, eam omni ſelectiſſimarum, quæ apud ipſos naſcuntur, ſtirpium genere impletam denuo conſuunt, cornibus, gutturi, & reliquo corpori, ſelectiores fructus in corollas vel longas tænias nexos appendunt. Ea ſic exornata ad fiſtularum & cantionum harmoniam in ampliſſimã & elegantiſſimam planiciem defertur, & altiſſimæ iſtîc arbori imponitur, capite & pectore ejus ad Orientem ſolem obverſis, ſubinde precibus ad Solem repetitis, ut in eorum ditione ſimilia quæ illi oblata ſunt bona renaſci faciat: Rex cum ſuo Mago proximus eſt arbori, & verba præit, vulgo, quod longius abeſt, reſpondente. Deinde Rex & reliqui ſalutato Sole, abeunt pelle iſtic relicta in ſequentem annum: ſingulis annis repetuntur ejuſmodi ceremoniæ.

Iuventutis exercitia. XXXVI



APVD illos curſu adoleſcentes exercentur, conſtituto inter ipſos certo præmio, quod, qui diutius curſuram continuare poteſt, aufert: arcu etiam frequenter exercentur. Deinde pila ludunt in hunc modum: in media area præfigitur arbor octo aut novem orgyias alta, & ſummo faſtigio quadrum quoddam è viminibus contextum ſuſtinens, quod qui pila ſe exercendo tetigerit, præmio decoratur. Delectantur præterea venationibus & piſcationibus.

9

Qua pompa Regina delecta ad Regem deferatur. XXXVII



37.

DVCTVRVS uxorem Rex, ex nobiliorum puellarum cœtu, pulcerrimam maximamque deligere jubet : deinde duobus validis longuriis ſede aptata, quæ rarioris alicujus animalis pelle tecta eſt, & poſteriore ejus parte ornata ramis ſupernè nutantibus, ut ſedentis caput tegant, Reginam delectam ſedi imponentes, longurios ſublevant quatuor viri robuſti, & humeris ſuſtinent, ſinguli ligneam furcam manu gerentes, ut longurijs ſubponant quando quieſcendum eſt: duo alij utrinque ad Reginæ latera progrediuntur rotunda umbracula elegantiſsimè confecta in oblongis baculis geſtantes ad Reginam à Solis ardoribus tuendam: præeunt alij tubas ex arboris cortice confectas inflantes ſupernè anguſtas, infernè laxiores, duobusque dumtaxat foraminibus, ſupero & infero, præditæ, quibus appenſæ ſunt ovales ſphærulæ aureæ, argenteæ, æreæ ad majorem concentum. Pone ſequuntur puellæ omnium formoſiſſimæ, eleganter ornatæ torquibus & armillis ex margaritis, ſingulæ caniſtrum ſelectioribus fructibus plenum manu ferentes, & ſub umbilicum ſupraque coxendices cinctæ certarum arborum muſco ad obſcœna tegendum. Eas ſequuntur prætoriani.

Qua ſolennitate Regina à Rege excipiatur. XXXVIII.



38.

HAC pompâ defertur ad Regem Regina, in locum ad eam rem deſtinatum, in quo tabulatum extructum è lignis rotundis ſatis amplum, ad ejus autem latera, longum utrimque ſcamnum adpoſitum, in quo proceres ſedeant. Rex igitur in tabulati dextra parte ſedens, Reginæ, quæ in ſiniſtra parte collocatur, adventui gratulatur, & cur eam in primariam uxorem accipiat, exponit: illa verecunda quadam majeſtate flabellum manu tenens, Regi quam honeſtiſsimè, & ut à natura edocta eſt, reſpondet. Tum puellæ in orbem ſe componunt, manibus non connexæ & cultu ab alijs differentes: nam capillos ſub occipite ligantes, per humeros, & dorſum deinde ſpargi ſinunt, ſub umbilico cinctæ lato cingulo, è quo anteriore parte veluti marſupium quoddam propendet ad pudenda tegendum: per reliquum deinde cingulum appenſæ ſunt ovales formulæ ex auro & argento, ad coxendices demiſſæ, ut ſtrepitum in ſaltu excitent dum laudes Regis & Reginæ canunt: in hoc ſaltu, una manum attollente, reliquæ ſublevant; demittente, etiam demittunt. Omnes autem viri & feminæ extimis auriculis perforatis oblongiuſculas piſcium veſiculas imponunt, quæ inflatæ unionum inſtar ſplendent, rubro colore tinctæ, dilutioribus carbunculis ſunt ſimiles. Mirum homines adeo barbaros tam venuſtis inventis præditos.

Regis & Reginæ prodeambulatio recreandi animi gratia. XXXIX



PRODIT interdum Rex ſub veſperam deambulatum in proximam ſylvam ſolus cum primaria conjuge, tectus cervina pelle tam eleganter parata, & variis coloribus picta, ut nihil elegantius depictum conſpici queat. Bini adoleſcentes latera ejus claudentes, flabella ad ventulum faciendum geſtant, tertius globulis aureis & argenteis è cingulo propendentibus ornatus, pone ſequitur, pellem ne terram verrat, ſuſtinens. Regina & ejus pediſſequæ ornatæ ſunt ex humeris propendente vel eas cingente muſci quodam genere in nonnullis arboribus naſcente, tenuibus ſtaminibus in vicem cohærentibus catenularum modo prædito, viridis in cæruleum tendentis coloris, adeo venuſti, ut ſericea ſtamina videantur. Iucundum præbent ſpectaculum hoc muſco oneratæ arbores: nam è ſummis nonnumquam ramis etiam præaltæ arboris ad terram uſque demittitur. In venationem aliquando profectus cum aliquot commilitonibus in ſyluas habitationi Regis Saturioua *vicinas ipſum cum Regina ita comptos reperi.*

Porro monendus lector, omnes iſtos Regulos, eorumque uxores, corporis cutem puncturis quibuſdam varias picturas imitantibus ornare (ut ex ſequentibus iconibus videre licet) ſic ut interdum in ægritudinem ſeptem vel octo dierum incidant: puncta tamen loca, herba quadam fricant, quæ tincturam addit indelebilem. Ornatus etiam & magnificentiæ gratia, digitorum in manibus & pedibus ungues creſcere ſinunt, quorum latera ſcabentes cõcha aliqua, acutiſſimos reddunt: oris etiam circumferentiam cæruleo colore pingere ſoliti.

Ceremoniæ in Regis & Sacerdotum funere obſervatæ. XL.



DEFVNCTO *aliquo Rege ejus Prouinciæ, magna ſolennitate ſepelitur, & ejus tumulo crater, è quo bibere ſolebat, imponitur, defixis circa ipſum tumulum multis ſagittis. Illius ſubditi toto triduo, tribusque noctibus in continuo ſunt luctu, & cibo abſtinent. Omnes Reges illi amici ſimiliter lugent, & in amoris quo illum proſequebantur teſtimonium, plus quam dimidiatam comam reſecant cum viri tum fœminæ. Sex præterea lunis ſubſequentibus, delectæ quædam mulieres ſingulis diebus magno ululatu Regis mortem ter lugent, diluculo, meridie, & ſub noctis crepuſculum. Tota Regis ſupellectile in ipſius domum illata, ignis injicitur, & ſic omnia incendio abſumuntur.*

Similiter eorum Sacerdotes defuncti in ſuis ædibus defodiuntur, ædesque cum tota ſupellectile, igne injecto, conflagrant.

RPJCB

Auri legendi ratio in riuis è montibus Apalatcy decurrentibus. XLI.



PROCUL ab eo loco, in quo noſtra arx extructa fuit, magni ſunt montes, Indorũ lingua, Apalatcy *cognominati, è quibus, ut ex topographica charta videre licet, oriuntur tres magni rivi, provolventes arenam, cui multum auri, argenti & æris admixtum eſt. Eam ob cauſam illius regionis incolæ foſſas in rivis faciunt, ut provoluta ab aqua arena, in eas propter gravitatem cadat: diligenter inde eductam in certum locum deferunt, & aliquanto poſt tempore, denuo foßis arenam quæ incidit exhaurientes, colligunt, & cymbis impoſitam per ingens flumen devehunt, à noſtris* Maii *nomine inſignitum, quod in mare ſeſe exonerat. Opes quæ inde proveniunt, nunc Hiſpani in ſuum uſum convertere norunt.*

Petri Gambie Galli cædes. XLII.



PETRI cujuſdam Gambie *in Compendio meminimus, qui accepta à Laudonniero poteſtate, ſuas merces per regionem deferendi negotiationis gratia, tam probè negotiatus erat, ut non modo mediocres opes adquiſierit, ſed etiam affinitatem cum illius provinciæ quodam Regulo contraxerit. Illo deſiderio captus in noſtram arcem ad ſuos redeūdi, tantum apud affinem egit, ut poteſtatem faceret in arcem proficiſcendi, ea tamen conditione, ut intra tot lunas ad ipſum rediret: cymba inſuper data, & duo Indi additi qui deducerēt. Tranſlatis autem in cymbam quas adquiſiverat opibus, Indi comites eum in itinere mactant, dum ſe inclinat ad ignem excitandum, partim vindictæ cauſa (nam alter illorum fuſtibus ab eo regia negotia per Regis abſentiam adminiſtrante) cæſus fuerat, partim avaritia victi, earum opum quas miles in cymba habebat: quibus direptis fugerunt, quæ res multo tempore celata.*

Hæc pictura, ne præcedentium ſeriem perturbaret, in poſtremum locum eſt rejecta: nec expreſſa fuiſſet, niſi Compendij auctor illius meminiſſet.

Libellvs ſiue Epistola

SVPPLICATORIA, REGI GALLIARVM CAROLO IX. EIVSDEM NOMINIS OBLATA,

per viduas, orphanos, cognatos, affines, & ipſi Franciæ Occidentalis Regi ſubditos, quorum conſanguinei per Hiſpanos in ea Galliæ antarcticæ parte, quæ vulgo Floridæ *nomen inuenit, crudeliter trucidati perierunt;*

Anno 1565.

REx Chriſtianiſſime, Patrięque Pater potentiſſime, nos miſerandæ, & ærumnoſæ ſortis perſonæ, rerum omnium inopes, animasque deſpondentes, viduæ, orphani, filii, filiolæq;, parentibus orbati, iuuenes ſenesque pariter, humillime nos cum fletibus ac lachrymis profuſiſſimis ad pedes Regiæ M. V. proijcimus, & protectionem eius confugimus, ærumnas & tribulationes noſtras coram Clementiſſima M. V. & parentum noſtrorum, maritorum, liberorum, fratrum, nepotum, conſanguineorum, coniunctorum & affinium (ô horrendum ſpectaculum) lanienam tam miſerabilem deplorantes ex animo, eorumque fatum lachrimabile Mti V. declaratum venimus.

Ceciderunt enim ex illorum numero, in prouincia Florida, plures quam noningenti, tam viri, quam fœminæ, cum infantibus ſimul innocentibus immerentibusq;, qui omnes à Petro Melendeſio & militibus eius Hiſpanis crudeliter, & more plane barbaro trucidati ſunt.

Cum itaque factum hoc truculentum, non auditu tantum efferum, immane atq; execrandum; verum etiam Mtis V. ſubditorum cruor innocuus turpiter ac nullo merito profuſus atque immolatus ſit: Dei fidem iuſtitiamque teſtamur, ac à Mte V. ſuppetias opemque imploramus, contra feroces hoſce & deteſtabiles latrones, ne innocentia, ſanguinisque noſtri profuſione, nunc inulta manente, Devm aliquando atque homines vltores ſibi expoſcitura ſit.

A Mte igitur V. officii ratio exigit, non ſolum ditionis & poteſtatis ſuæ ſubditos, æquitate & iuſtitia, legumque vinculis ſibi aſtrictos habere; verum

etiam eoſdem ſub Maieſtatis V. protectione defenſos, ſalvos, tutos, quietosque præſtare.

Id vero maxime afflictis nobis miſeris & oppreſſis nunc à Maieſtate V. expetendum, qui diuino auxilio præfato, ad V. Maieſtatis opem omni ſpe atque fiducia, tanquam ad ſacram anchoram confugimus, & huic ſoli nos ſubiectos offerimus. Obſecrantes M^tem^ V. vt nos auxilio, defenſione & protectione liberatos ſaluatosque factos velit, dum factum vulnusq; adhuc recens eſt, dum Gallorum animis dolor ingraueſcit. Sic enim patremfamilias ſe nobis benigniſſimum, & Dominum exhibebit clemētiſſimum, qui famulorum, imo filiorum ſuorum gemitus & ærumnas, animo exaudiat æquiſſimo, quique in tribulationis articulo eoſdem erectos ſuſtineat.

Hæc enim ægritudo & animi noſtri afflictio, æque ſane flebilis & commiſeratione in æternum digna exiſtit; atque Petri iſtius Melendeſij Hiſpanorum militum Præfecti tyrannis & crudelitas; tam contra morem bellicum, quam diuinas pariter & humanas leges omnes ſuſcepta & confecta, atque adeo ad omnem poſteritatem propaganda in æternum ſupervictura ſit.

Proindequo M. V. regia totius rei ſeriem plenius & explicatius percipiat, qua poſſumus humilitate obſecramus, ut M. V. non grauate pro innata ſua Clementia ſupplices nos audire dignetur.

Non fugit Maieſtatem V. quod ea edicto publico claſſem inſtrui præceperit, quæ in Floridenſium Regionem mitteretur; ipſa etiam præſens ſibi in hoc negotio ſubſtituerit Ioannem Ribaldum, tanquam Generalem totius claſſis Præfectum Regium.

Huius mandati publicatio ſane permultis in cauſa fuit, vt ſub tutela M^tis^ V. nauigationem hanc ſuſciperent; qui poſtquam Deo ventisque ſecundis, ad arcem quæ à Maieſtatis V. auſpicio & nomine Carolina in ea prouincia vocitata eſt appulerunt, ecce improuiſo atque inſperato, quinque nauigia ex Hiſpanijs ſuperuenerunt, quorum maximum circiter octingentorum doliorum erat, reliqua mediocria.

Hoſtiliter ergo Maieſtatis V. claſſem inuadentes, totis eam viribus, vnoq; quaſi impetu delere annisi ſunt; ſed ſuo conatu fruſtrati, neque claſſi noſtræ ſuperiores facti, continentem rectà petierunt, & plures ſexcentis armati ſeſe terræ firmæ commiſerunt, qui cum incolis clam de ſaluo conductu quamprimum tranſegerunt: quorum indicio poſtea per cuniculos & compendia ad Caſtellum ſumptibus Maieſtatis V. extructum ab eademque denominatum nullo labore pervenerunt. Vbi illud extemplo multa nocte & cælo pluuio occupantes quoſuis obuios tam viros quam feminas, miſere nulloque diſcrimine dilaniarunt, qui ab immerentibus infantibus etiam non abſtinuerunt, ſed transfixorum corpora lanceis præfigentes miſeris parentibus obiecerunt ſpectaculum inauditum & crudeliſſimum.

His exactis plures octingentis Gallicorum militum, qui ſub ſignis ſeu vexillis Ribaldi Ducis militantes ex naufragio euaſerant gallinarum inſtar perfidiſſime iugularunt: Melendes enim illis fidem fecerat, ſi vltro ſe dederent, ſeſe

omnes

omnes ſimul illęſos, & naualibus victualibuſq; inſtructos, in Galliam dimiſſurum incolumes. Sed nimium credulis illis nudis & inermibus miſeris (naufragio enim omnia arma amiſerant) manus poſt terga reuinctę ſunt, & binis nexu iunctis, brutorum more ad Caſtellum deducti: cui cum appropinquarent, vexillum integrum militum armatorum, ipſis ex arce procedit obuiam, captiuos miſeros varijs calumnijs, & verbis ignominioſiſſimis inceſſens, vociferanſque Gallos eſſe infames, facinoroſos, abominandos, exeſos Elephantia, & ex Gallica lue ſeu venerea contagioſos, tum vero pædicatores & Sodomitas: ſimulque in vinctos irruens omnes intra mediæ horæ ſpacium, inq; conſpectu ducis Ribaldi turpi internecione delet.

Ribaldus cernens infandam hanc ſuorum lanienam, totus contremiſcit, ſimulq; ad Petrum Melendeſium contendens, ut ad huius protectionem tanquam ad aram confugiens ſaluus abiret, faſtu inſolenti illuſus repellitur: Interea dum de ſalute ſua anxius magis magiſq; veniam deprecaretur, crudelis quidam Hiſpanus à tergo accurrens pugione confoſſum ad terram proſtrauit: qui cum ex hoc vulnere animo linqueretur, tandem à latrone inſtante pluribus vulneribus transfixus, expirauit.

Quibus omnibus Hiſpanorum crudelitas nedum quidem exaturata fuit, ſed in exangue inſuper cadauer (quod vel apud barbaros deteſtabile habetur) rabiem ſuam furibundi exercuerunt, & varijs iiſq; ignominioſiſſimis ſcommatibus proſciſſum truncarunt. Barbam mento deraſerunt, & obſignatis literis incluſam, tãquam trophæum quoddam Hiſpalim verſus in Hiſpanias deferri curarunt: Caput tandem quadrifide ſecarunt, & partes ſingulas haſtis præfixas, in media arcis area, vbi reliqua occiſorum cadauera congeſta erant, tanquam in æternam rei tam ſtrenue geſtæ memoriam erexerunt.

Corpora interemptorum vtriuſque ſexus diffamata dehoneſtataque ex caſtello protracta cremarunt.

Quibus omnibus quam fœdiſſime peractis, haud obſcure ſignificarunt, quanti M.V. facerent, quove loco eam haberent, patrantes facinus hoc tam atrox in ipſos Maieſtatis V. ſubditos, vt nec exemplum ſimile in media barbarie perpetratum fuerit vnquam. Quis enim adduci poſſit, vt credat eſſe aliquem ex Principum, Regum, aut Monarcharum Chriſtianorum numero, ſiue ex barbarorum etiam & infidelium turba, vel ipſum adeo Turcam animi tam inſigniter immanis, tamq; truculenti, qui factum hoc atrociſſimum probare velit, aut vllis rationibus adductis excuſare præſumat.

Illud grauiſſimum eſt, quod in media pace in Maieſtatis V. ſubditos latrocinium hoc exercuerint; quo quidem tempore M.V. neque cum Hiſpano, neq; cum quoquam exterorum vlla interceſſit inimicitia. Quod vero Hiſpanorum & non noſtra culpa hæc laniena euenerit, teſtantur cædes parẽtum, liberorum fratrum, & conſanguineorum noſtrorum; noſtri etiam gemitus & lachrimæ, quibus Maieſtati V. ſecundum Devm miſerandi ſupplicamus.

Adhæc eo in loco facinus hoc perpetratũ, & in eos ſæuitum eſt, qui præter M.V. regiam neq; ſubiecti fuerunt alteri vnquam, neq; imperium agnouerunt aliud vllum.

Sed forſan Petrum Melendeſium, hęc iuris ſui regula tutabitur, vt qui plus poſſit, eidem etiam quocunque in loco, quo iure, quave iniuria, plus licere æquum ſit. Patrocinabitur forſan & illud: omnibus prædonib. exteris integrum eſſe in M. V. regna & ditiones graſſari libere, bona & facultates ſubditorum & ſalutem eorum violenter & armata manu inuadere, & quiduis in ipſos pro libitu ſtatuere.

Nos nihilominus quotquot ſumus ex Dei nutu atque prouidentia M. V. ſubditi ſumus, & obedientiæ vinculo arctiſſimo ita aſtricti, animosq; in ipſam tam promptos tamque paratos gerimus, vt mille mali, lethique genera potius perpeti, quam alterius cuiuſquam ditioni ſubiici nobis fixum atque conſtitutum ſit.

Quod ſi Hiſpaniarum Rex atrox hoc Petri iſtius Melendeſij factum forſan nondum cognôrit penitius, hoc ſaltem ipſi incumbit tamen, ut iniuriam M. V. illatam in ipſo animadvertat grauiter, vel ipſum in Maieſtatis V. manus offerat, quo pari menſura, qua ſubditis veſtris ipſe menſus eſt, mercedem auferat: Adhæc vt Rex Hiſpaniæ poſſeſſionem & omne ius Prouinciæ Floridæ Maieſtati V. cedat, reſtituatq; liberum, quietum & ſecurum; quandoquidem ea Regio nuperadmodum cum maximis M. V. ſumptibus, & tum ipſius ſubditorum ſalutis diſcrimine reperta, & finibus ditionis veſtræ adiecta ſit.

Nec enim tanquam exules, aut profugi, extorresve ad extremas orbis iſtius oras transfugerunt M. V. ſubditi, tum cum Prouinciam hanc variis periculis ſummaque fortitudine occuparent, quo fines regni veſtri producerent, ſed ex mandato M. V. publico aggreſſi opus hoc perfecerunt, alacri promptoq; animo M. V. obtemperantes, maxime autem cum viderent virum bellicæ rei peritiſſimum Ioannem Ribaldum, Regia autoritate atque immunitate fultum, claſſi Ducem præfici, qui M. V. vices in hac expeditione obiret.

Accedit & hoc, quod ipſum Hiſpanorum impunitatem hanc abominandam in animis noſtris acerbiorem facit indies, videlicet hoc tam indignum facinus vnius alicuius hominis opera atque inſolentia perpetratum eſſe. Namq; ſi hoc impune tulerit iſte, & perfidis iſtis periuris & flagitioſis prædonib. indultum fuerit, ita vt illi præda hac ex M. V. noſtrisq; priuatis facultatibus parta ſine vllo incommodo vel detrimento fruantur, iam malum hoc in omnes redundabit, & quæ nunc nobis infeſta fuit fortuna mox M. V. exiſtimationem atque gloriam contaminatura ſit; Si hoc, inquam, in exemplum deductum, ſeria animadverſione non corrigatur.

Nec enim quemadmodum alias horum improbitas impunitate confirmata & aucta fuit, ſic etiam nunc fore ſuſpicabimur. Sed fiducia & ſpe bona erigimur M^tem^ V. ſubditis ſuis illatam iniuriam, abſq; mora vindicaturā. Quemadmodum M. V. ſalutem in hoc ſimul periclitari manifeſtum eſt.

Nec tantum de noſtra deq; M^tis^ V. ſalute hoc agitur, ſi pœnas hi ex merito luant, ſed totius politicæ adminiſtrationis, & humanæ ſocietatis vinculum in hoc laborat, quod Petrus ille Melendeſius, cum improbitatis ſuæ ſociis violare, & quantum in ipſo fuit, diſſoluere non eſt veritus.

Aphricani,

Aphricani, quorum præcipui erant Carthaginenſes olim quacunq; leuiſſima oblata occaſione, in pactis erant perfidiſſimi, quod ipſis tandem extremo fuit exitio, & in hodiernum vſq; diem hæc ipſis infamiæ nota aſſcribitur.

Romani contra, gens fidei tenaciſſima, tantæ erant conſtantiæ, vt perfidię crimen quouis cane peius & angue odio haberent, atq; execrarentur, & datam fidem atq; fœdera etiam cum hoſtibus crudeliſſimis inita ſanctiſſime colerent, nec vnquam de diſſoluendis iis in animum inducerent. (vtinam ô Petre Melendeſi tua hæc laus foret, tuorumque propria, qui tam perfide eam fefelleris, vt & ſacroſanctum Dei nomen deſuper inuocaueris, Devm ipſum ſceleris tui crudeliſſimi tanquam teſtem & conſortem faciens.)

Nulli equidem noſtrum obſcurum eſt, Devm ſceleratis ſæpe laxare fræna, & ipſorum opere tanquam inſtrumentis ſuæ prouidentiæ vti, ſiue ut nos de delictis noſtris commonefaciat, ſive vt iſti iuſtam ſcelerum ſuorum metā promptius contingant, & pœnas ſibi ipſis accelerent atque accumulent. Verum hoc in eum fit potiſſimum finem, ne videlicet ſecuri de iuſtitia, deq; extremi & tremendi iudicii die, per peccata noſtra paternas admonitiones negligamus, & in æternum lugendi pereamus.

Eſt & illud eiuſdem argumenti; quod tam ſcelera hominum, quam iuſtum Dei iudicium æquis ſimul paſſibus ſibi procedant obviam, ita vt Devs vindictæ & vltionis tarditatem, tandem grauitate pœnarum ſevere compenſet.

Vnum reſtat Rex Chriſtianiſſime, nimirum vt M. V. tot viduarum atque orphanorum orbitatem, & noſtras has ærumnoſas lachrymas, gemitus, & anguſtias grauiſſimas animo condolente comiſeranteque percipere non dedignetur; eos quoque altius pectori infixos, oculiſque obuerſantes ſedulo contueatur, quorum parentes, filii, fratres & conſanguinei, ipſius M. V. ſubditi, per hoc immane Petri Melendeſij facinus miſere interierunt.

Tametſi vero hoc noſtrum infortunium caſuſque miſerabilis ad Regiam M. V. in ſpecie nō ita pertingat, & hæc iniuria quæ ſolum ad priuatas quaſdam perſonas pertinet, facile obliterari poſſit; quicunq; tamen cordatus fuerit, recte iudicabit, eandem hanc etiam ad M. V. exiſtimationem & gloriam non minus attinere, quam ad ſalutem facultateſque noſtras priuatas.

Quid quæſo M. V. animo conciperet, quid intenderet, ſi decus & Maieſtatem tanti ſui nominis contaminari, aliorumque calumniis & ſannis exponi, iuſſa & mandata Maieſtatis ſuæ negligi & reſpui videret? Quid ſi molimina ſua & conatus, à quoquam iniurioſe & violenter impedirentur, aut penitus etiam inuerterentur? Quid denique, ſi promiſſa fides & iuſiurandum non tantum turpiter labefactarentur, ſed & ipſi Legati & Commiſſarii Maieſtatis V. contra ius gentium, quibusvis iniuriis afficerentur, adeoque è medio prorſus tollerentur? Equidem exiſtimamus M. V. arma intrepide capturam, & Dei omniumque opem imploraturam, maxime ſi iuuentutem ſuam ſpectatam & intactam ſimul cum anteſignanis & præfectis, contra ius belli & æquitatem omnem, imo contra fidem pactam atque iuſiurandum datum interimi & mactari coram aſpiceret.

Hoc equidem illud ipſum eſt, quod ab Hiſpanis Maieſtati V. hac tempeſtate illarum ac intentatum conquerimur, dum Maieſtatis V. exiſtimationi detrahendo illuſerunt, dum Maieſtatis V. mandatis rebelles ſe oppoſuerunt, duces autem & legatos veſtros prorſus ſuſtulerunt.

Quouſq; ergo M. V. improbitatem & tyrannidem hanc latronum iſtorum in ſubditos ſuos latura? quove ſilentio ſtragem horū præteritura? aut quouſq; illorum incurſationes & inſultus toleratura eſt? ſcilicet vt pro tot tantisque flagitiis præter licentiæ impunitatem, pręmia etiam nunc preciumque iſti ſceleratiſſimi reportent.

Nos vero de M. V. longe aliter ſentientes & ſperantes optime, votis ardentiſſimis Deo ſupplicamus, vt Maieſtatem V. regat, tueatur & confirmet, atque fortitudinis ſpiritum in ea exuſcitet, vt hāc iniuriam ab Hiſpanis acceptam vindice gladio aſſerere atque rependere valeat.

Confortetur itaque Maieſtas V. ſpiritu maſculo, & dono fortitudinis exultet, dignum M. ſua atque maioribus factura, ſi labem hanc glorioſiſſimo Gallorum nomini aſperſam eluere actutum accingetur, ſtatuens in parricidas hoſce exemplum talibus auſis condignum.

Aderit Devs propoſito, tam pie tamque honeſte ſuſcepto, & Maieſtati V. protectione ſua auxilioq; aſſiſtet.

Proinde M. V. preces ſubditorum ſuorum ſupplices ſuſcipiat, & quantum animi promptitudine, quantumque fide ipſis debita valuerit, defenſos eos, promotosque velit. Hac quidem via per totum orbis Chriſtiani ambitum Magnanimitatem ſuam in defendenda ſubditorum ſalute, tutandaque eorum innocentia teſtatam faciet.

Poſtquam ergo M. V. regia aures precibus noſtris iam apertas præſtiterit, placideque eas admiſerit, nullum profecto aliud maius ſacrificium, ô Rex Clementiſſime & Chriſtianiſſime pro innocenter profuſo tuorum ſanguine, proque vindicta tam iuſtis rationibus ſuſcepta Deo vnquam obtuleris, atque has ipſas quas immitibus latronibus iſtis pœnas irrogaueris, vt ſontes ex merito plectantur, & ex numero viuentium ſublati pereant radicitus.

Hoc ipſo etiam facto M. V. non ſolum peremptorum cognatos & liberos, precesque has exaudierit, & ægritudines eorum delinierit, verum etiam exhibebit ſe Regem vere dignum tantis ſuis titulis, & plebis ſuæ Patriæque patrem fideliſſimum.

Precamur autem ex imis animi noſtri penetralibus, vt Devs opt. max. Maieſtatem V. in multos annos ſalvam faxit & incolumem, & regna ſua placide beateq; moderantem clementiſſime conſeruet. Gubernet etiam Maieſtatem V. ſapientiæ ſpiritu, ut omnia conſilia veſtra in ſalutem Regni Gallici, & ſubditorum eius, atq; adeo ipſius M. V. honorem atque gloriam vergant & dirigantur perpetuo.

Finis.

De Qvarta

GALLORVM IN FLORIDAM NAVIGATIONE SVB GOVRGVESIO,

Anno 1567.

Govrgvesivs nobilis Burdegalenſis, iniuriæ atque ignominiæ genti ſuæ ab Hiſpanis illatæ vlciſcendæ cupiditate impulſus, pecuniam ab amicis ſuis mutuo ſumit, ac partem bonorum ſuorum vendit, vnde tres naues mediocres ſibi comparat, rebusque omnibus neceſſariis communit, quibus 150. milites cum octoginta nautis ſub centurione Caſenouo legato ſuo, ac Franciſco Burdegalenſi nauclero imponit. Deinde cum vigeſimo ſecundo die Auguſti, anno 1567. portu ſoluiſſet, atque aliquandiu cum ventis ac tempeſtatibus aduerſis certaſſet, tandem ad inſulam Cubæ appulit: Inde ad promontorium S. Antonij quod eſt in extremo illius inſulæ peruenit, quod abeſt à Florida circiter ducentas leucas: vbi præfectus conſilium ſuum, quod hactenus ſuos celaverat, illis aperit, rogans atque adhortans eos, ne ſe hoſtibus tam propinquum, ipſi tam bene rebus omnibus muniti, ac in tali occaſione deſererent. Quod illi omnes iureiurando polliciti ſunt, tāto cum ardore, vt plenilunium expectare non poſſent ad fretum Bahamiæ tranſeundum. Sic ergo Floridam petiuerunt, quæ paucis poſt diebus ipſis apparuit: Hiſpani autem ex caſtris ſuis eos duob. tormentis æneis exploſis ſalutauerunt, arbitrantes eos eſſe ſuæ gentis: Gourgueſius vero Hiſpanos pariter reſalutauit, quo eos in illo errore confirmaret, ac commodius incautos opprimeret: præternavigans tamen alio ſeſe ire ſimulauit, donec à loci illius conſpectu ſeſe ſubtraxiſſet: Dein de nocte in terram deſcendit quindecim leucis procul à caſtris, è regione fluminis Tacatacourou, fluuio quod Galli Sequanam dixerunt, quia illis Sequanæ Galliæ ſimile videbatur. Cumq; ripam Barbaris armatis arcubus & ſagittis refertam vidiſſet, præter ſignum pacis quod illis ex navibus oſtendi juſſit, tubicinem ſuum ad eos mittit, qui ipſos ſecuros redderet, affirmaretq; ſe non aliam ob cauſam veniſſe, quam ad amicitiam ſocietatemque antiquam Gallorum cum iis reno-

uandam. Quod tubicen ille tam bene exequutus eſt (habitauerat enim antea in iſtis regionibus ſub Laudonniero) vt à Rege Satourioua, qui reliquis maior erat & potentior, præter amicitiæ & ſocietatis promiſſa, capream aliosq; cibos ad milites reficiendos & recreandos reportaret. Illi autē tripudiantes in ſignum lætitiæ diſceſſerunt, ad Reges omnes Satourıouæ cognatos certiores faciendos, vt eo loci poſtridie conuenirent ad amicitiam cum Gallis contrahendam: quorum præfectus interea vadum fluminis bolide tentabat ut ſuis navibus proſpiceret, commodiuſq; cū iſtis Barbaris negotiaretur. Poſtridie mane Rex magnus Satourioua, Tacadocorou, Halmacanir, Athore, Harpaha, Helmacape, Helycopile, Molona, alijq; illius cognati & affines conuenerunt cum armis ſuis conſuetis: dein miſerunt oratum Præfectum Gallorum vt ad ſe deſcenderet: quod ille fecit cū gladiis & pyxidibus æneis, quas tamen ut ſui deponerent, iuſſit: poſtquam Barbari, qui de eo conquerebantur, hortatu Gourgueſij ſua arma pariter depoſuiſſent, ac auferri iuſſiſſent in mutuæ fiduciæ teſtimonium, ita vt Galli ſolos gladios retinerēt. Quod cum factum eſſet, Satourioua ad ipſum progreſſus, eum ad dexteram ſuam ſedere fecit, in ſede lentiſcina muſco tecta, ſuæ ſimili: poſtea duo ex ſenioribus ſentes herbasque alias, quæ coram ipſis erant, euulſerunt, ac loco bene purgato omnes in orbem ſupra terram ſederunt. Hic cum Gourgueſius loqui vellet, Satourioua præoccupat, enarrās ipſi mala incredibilia, continuasq; iniurias, quas omnes Barbari cum vxoribus & liberis, ab Hiſpanis inde ab eorum adventu, aliorumq; Gallorum ſtrage perpeſſi eſſent, ſeq; teſtatur cōtinuo deſiderio flagrare tam inſignem proditionem nō minus ſeuere vlciſcendi quam proprias offenſas, propter firmam illam amicitiam, quam erga Gallos ſemper geſſerint, ſi modo ſibi auxilium præſtaretur. In quam rē cum Gourgueſius iureiurando opem & auxilium ſuum promiſiſſet, ſocietatemque ipſi mutuo inter ſe iuraſſent, Gourgueſius quædam munera illis dedit nempe pugiones, cultros, ſpecula, ſecures, annulos, tintinnabula, & alia ſimilia nobis quidem ridicula & vilia, regibus vero illis valde pretioſa: qui præterea, cum illis plura offerrentur, petiuerunt quiſq; ſibi induſium, quo diebus tantū ſolennib. induerentur, ac cum quo poſt mortem ſepelirentur. Quod cum impetraſſent, ac viciſſim rex Satourioua duo fila granis argenteis plena, & ſinguli reges pelles aliquas ceruinas, ſuo more paratas & ornatas, præfecto Gourgueſio dediſſent, diſceſſerunt illi tripudiantes ac læti valde, poſtquam promiſiſſent ſe omnia occulta habituros, ac in eundem locū validas copias ex ſuis ſubditis egregie armatis collectas ad vindictam de Hiſpanis ſumendā adducturos. Interea Gourgueſius cum diligenter de omnibus interrogaſſet Petrum de Bré Gallum natum ex oppido, quod Haure de grace dicitur, (qui ſuperioribus annis è caſtris aufugerat per ſylvas, dum Hiſpani alios Gallos interficiebant, atque ab eo tempore à Satourioua educatus fuerat, qui eum tunc huic Præfecto dedit) eius relationibus & conſiliis multum vtitur, mittitq; aliquot ex ſuis qui caſtra ſtatumq; hoſtium explorent, quos duci iubet ab Olotocara Satourioυæ nepote, quem hic in eum finem illi dederat, atque ut eſſet obſes in locum Eſtampeſij nobilis Comingenſis & aliorum, quos ad hoſtium ſtatum explorandum mittebat. Præ-

tereà

terea dedit etiam ipſi filium ſuum nudum, quales ſunt omnes, atque ex ſuis Vxorib. eam quam magis diligebat, natam 18 annos, muſco arborum indutam: qui ſimul per tres dies in nauibus aſſeruati fuerunt, donec illi ab exploratione rediiſſent, ac Reges quæ polliciti erant, impleuiſſent.

Cum tempus proficiſcendi conſtitutum eſſet, locusque vbi omnes præſto eſſe deberent Barbaris aſſignatus vltra flumen Salinacani, quod à noſtris *Somme* vocatur, biberunt omnes magna cum ſolemnitate potionem illam (quæ *Caßinè* dicitur, fitque ex quarumdam herbarum ſucco) quam conſueꝛunt bibere quotieſcumque in aliquem locum periculoſum profecturi ſunt: taliq; virtute prædita eſt, ut illis famem & ſitim per viginti quatuor horas tollat, fuitq; Gourgueſio neceſſe ſimulare ſe de illa quoq; bibere: poſtea manus ſuſtulerunt, iurarunt que omnes ſe ipſum numquam deſerturos. Sequutus eſt ipſum Olotocara haſtam manu tenens, omnesq; præſto fuerunt ad flumen Saranala, [al. Sarauahi] non ſine maximo labore, propter pluuias, & loca aquoſa per quę trãſire neceſſe fuit: quæ impedimenta iter ipſorum remorantia, famem augebant, quod nihil reperirent in via quod ederent, nec adhuc deſcenderat ſcapha cum commeatu, qui ex nauibus aduehebatur, ad quarum cuſtodiam & refectionem relictus erat Burdegalenſis cum reliquis nautis. Intellexerat autem præfectus Hiſpanos eſſe quadringentos, diſtributos in tres arces, quæ erecta & munita, ac egregie inſtructa erant ſupra Maii flumen, ac præſertim arx maior prius à Gallis extrui cœpta, deinde ab Hiſpanis perfecta: ad cuius primarium ac periculoſiorem acceſſum duabus leucis inferius ac propius fluminis oſtiũ alias duas minores arces conſtruxerãt, quæ flumine interiecto propugnabantur à 120. militibus, aliquot tormentis bellicis, & aliis munitionibus quas in eas contulerant. Inde à Saracary vſq; ad minores illas arces duarum leucarum erat iter, quod valde incommodum & moleſtum illis fuit propter pluuias continuas. Dehinc à flumine Tacatacourou proficiſcitur Gourgueſius cum decem pyxidariis ad explorandã primam arcem eãq; poſtridie ſummo mane aggrediendã: quod tamen perficere propter cæli iniuriam & noctis obſcuritatem non potuit. Rex Helicopile cum videret eum ægre ferre quod voto fruſtratus eſſet, promittit certo ſe eum per facilius & commodius, quamuis longius iter, ducturũ: ac eum per ſylvas ductans in proſpectu arcis collocat, vnde animadvertit locum quendam in quo quædam tantum foſſarum initia apparebant. Quare poſtquam rivum qui illac præterfluit tentare iuſſiſſet, exſpectat donec æſtus maris, qui tum aſcendebat, defluxiſſet, ac milites ſuos traducit circiter horam decimam matutinam in locum vbi conſpexerat ſyluulam quandam inter riuum & arcem (ne ab Hiſpanis conſpiceretur dum milites traduceret ac in ordinem cogeret) iubens vaſcula illa militaria pulveri tormentario gerendo idonea ad galeas alligari, ac enſes & pyxides æneas manu ſublatas ferri, ne aqua quæ ad cingulum vſque pertingebat madefierent; in qua ingentem multitudinem oſtreorum magnorum repererunt, quorum teſtæ tam acutæ erant vt plurimi iis læſi fuerint, alii calceos ſuos amiſerint. Verumtamen ſimul ac tranſiſſent, ardore Gallico parant ſe ad pugnam, pridie diei qui Quaſimodo dicitur, menſe Aprili anno 1568. Gourgueſius igitur

cum hunc animi ferùorem elangueſcere non ſinendum iudicaret, Legato ſuo Caſenouo viginti pyxidarios dat, & decem nautas cum poculis & vaſis ad ignem iniiciendum paratis, quibus portam incenderent. ipſe ex altera parte arcem aggreditur, habita prius breui oratione, qua ſuos monebat de inaudita proditione, qua Hiſpani erga eorum ſocios vſu fuerant. Sed cũ adhuc abeſſent ducentis paſſibus à caſtris, conſpicerenturque cum impetu ruere, bombardarius vallo caſtrorum conſcenſo, poſtquam ad arma conclamaſſet, vociferans Gallos eſſe, emittit aduerſus eos duo fulmina colubrinæ arma Gallica geſtãtis ac Laudonniero ereptæ. Cum autem tertio iterare vellet, Olotocara ordinem ſuum ſeruare haud edoctus, ſeu potius ira commotus, vallum conſcendit, ac haſtam per medium corpus iacentis traiicit. Gourgueſius tum progrediens, cum Cagenouum audiſſet clamantem Hiſpanos, qui tumultu audito armati concurrerant, fugere, illuc ſe confert, ac eos inter ſe & legatum ita includit, vt ex ſexaginta hominibus ne vnus quidem effugerit, quorum quindecim ſeruati ſunt ad eandem pœnam, qua antea Gallos affecerant. Hiſpani interea qui in oppoſita arce erant, indeſinenter tormentis fulminabant; vnde oppugnantes plurimum incommodi accipiebant, quamuis quatuor machinas in primis caſtris repertas ex aduerſo iam collocaſſent, ac in eos direxiſſent. Quo animaduerſo, Gourgueſius cum 80 pyxidariis ſe in ſcapham coniicit quæ opportune tunc ibi occurrit, vt traiiceret in ſyluam arci proximam, probe coniiciens obſeſſos beneficio huius ſyluæ in maiorem arcem, quæ vna leuca tantum inde diſtabant, effugere conaturos. Barbari vero reditum ſcaphæ præ impatientia haud exſpectare valentes, in aquam ſe coniiciunt, arcus & ſagittas vna manu extra aquam tollentes, & alio brachio natantes. Hiſpani autem vtramque ripam tanta hominum multitudine refertam animadvertentes, in ſiluam fugere cogitant, ſed à Gallis ſclopis petiti, dein à Barbaris ad quos confugere volebant, repulſi, vita illis prius tollebatur, quam pro eius conſeruatione orare poſſent. In ſumma, omnes ad vnum conciſi ſunt, exceptis quindecim qui ad publicam & inſignem pœnam ſeruabantur. His peractis Gourgueſius præfectus cum iuſſiſſet omnia quæ in ſecunda arce inuenta erãnt in primam transferri, in qua ſe continere volebat, ad conſilium capiendum aduerſus maiorem arcem cuius ſtatum nondum habebat exploratum: tandem certior fit ab vno ex captiuis in maiore illa arce milites eſſe circiter trecentos rebus omnibus inſtructos ſub præfecto magnanimo & generoſo, qui obſidionem & impetum ſuſtenturus eſſet, donec illi ſuppetiæ ferrentur. Cum autem ab illo ſitum, altitudinem, munitiones, & aditus cognouiſſet, deinde octo ſcalas firmas paraſſet, ac totam regionem aduerſus Hiſpanum commouiſſet, ne alicunde nuncium vel auxilium aut perfugium haberet, egredi conſtituit. Interea arcis præfectus Hiſpanum quendam Barbari habitu mittit ad ſtatum Gallorum explorandum: qui ab Olotocara detectus omnibus modis perſuadere conabatur, ſe in ſecunda arce fuiſſe, inde effugiſſe, ac cum vndiq; Barbaros cerneret, plus miſericordiæ ſperaſſe à Gallis: veniſſe autem in habitu Barbari, ne ab illis Barbaris agnitus trucidaretur. Sed collatus cũ ſupra memorato captiuo, aç conuictus quod ex ma-

ex maiori arce eſſet, ad pœnam cum aliis ſeruatus eſt: cum tamen prius Gourgueſio narraſſet rumorem eſſe in arce eum duo millia Gallorum ſecum habere, quorum metu ducenti ſexaginta Hiſpani qui in illa maiore arce erant reliqui, valde percellebantur. Quare Gourgueſius eos in tali conſternatione aggredi conſtituẽs, ac ſigniferum ſuum cum quindecim pyxidariis ad arcis & fluminis oſtii cuſtodiam relinquens, Barbaros de nocte proficiſci, ac ſeſe vltra citraq; flumẽ in inſidiis collocare iubet; ipſe mane egreditur, ſecum ſupra memoratos captiuos duos ducens, qui illi reipſa oſtenderent quæ prius tantum verbis & pictura delineauerant. Cum in itinere eſſent, Olotocara deuotus Barbarus qui Præfectum numquam deſerebat, ſic eum affatur: Se illi ſemper bene inſeruiiſſe, ac quicquid iuſſiſſet præſtitiſſe, ſibi certum eſſe mori in maioris arcis oppugnatione, à qua tamen nullo modo abeſſe velit: Vnum tantum orare, vt vxori ſuæ daret quod accepturus eſſet ab ipſo ſi euaderet, quo ſimul cum eo ſepeliretur, ac in animarum locum lætius reciperetur. Cui præfectus Gourgueſius poſtquam fidelem eius fortitudinem, amorem coniugalem, ac generoſam honoris immortalis curam laudaſſet, reſpondit ſe malle eum viuum quam mortuum honore afficere, ac ſperare Deo iuuante ſe eum victorem reducturum. Simul ac arx in conſpectu fuit, Hiſpani fulminibus tormentorum non pepercerunt, præſertim duarũ dupliciũ Colubrinarũ quæ in edito propugnaculo collocatæ, totum fluminis tractum impetebant, quæ præfectum Gourgueſium coegerunt ſtatim montem ſyluis obſitum petere: à cuius imo arx initium capiebat, ad extremum autem alterum ſylua ſe protendebat: ita vt ſatis tectus eſſet ad tuto, & ſine damno accedendum. Illic autem quietus manere conſtituerat ad matutinum vſq; tempus, quo decreuerat Hiſpanos ſcalis admotis aggredi ab ea mõtis parte vbi foſſa non ſatis à latere munita ad defenſionem videbatur, & vnde pars ſuorum in obſeſſos qui ad vallum defendendum ſeſe obiicerent eiaculari poſſet, interea dum reliqui conſcenderent. Sed Præfectus Hiſpanus infortunium ſuum accelerãs, emiſit è caſtris ſexaginta pyxidarios, qui clam iuxta foſſam progreſſi, numerum atque animum Gallorum exploraturi propius accedunt: Galli autem viginti numero ſub Caſenouo inter arcẽ & Hiſpanos egreſſos ſeſe collocant ad eos à reditu arcendos; interea Gourgueſius reliquis iubet in eos à fronte impetum facere, nec niſi de propinquo loco & certis ictibus ſclopos emittere, vt deinde facilius gladiis peterentur & interficerentur. Illi vero ſubito in fugam verſi ac à legato Caſenouo in anguſtias redacti, omnes ad vnũ perierunt. Quo facto, reliqui obſeſſi ita conſternati fuere vt nihil ad conſeruandam vitam ſuam conſultius ſibi videretur quam in ſyluas proximas fugere, in quib. nihilominus Barbarorum qui eos ibi exſpectabant ſagittis (quarum vna ſagitta ſcutum & corpus Hiſpani cuiuſdam ita transfixit, ut ſtatim mortuus caderet) petiti quidam faciem obuertere coacti ſunt, Gallorum eos perſequentium manu occumbere præferentes: haud ignari ſe apud neutram gentem miſericordiæ locum inventuros, quod vtramque pari & atroci iniuria affeciſſent. Nec ſane vlli ex illis reliqui facti ſunt præter eos qui in exemplum futurum ſervabantur. Arx capta eſt rebus omnibus neceſſariis inſtructa, nominatim quinque du-

plicibus colubrinis,& quatuor mediocribus cũ multis aliis minorib.tormentis omnis generis,18 doliis pulueris tormentarii, omnique genere armorum; quæ Gourgueſius ſtatim ſcaphæ imponi iuſſit,non autem puluerẽ aliamq; ſupellectilẽ,quia hęc igne corrupta ſunt, imprudentia cuiuſdam Barbari,qui piſces coquens, ignem admouit pulueri tormentario ſparſo & abſcondito ab Hiſpanis ad Gallos primo inſultu excipiẽdos:qui puluis igne accenſus, armamentarium reliquasq; ædes,quæ ligneæ erant ſubuertit.Hiſpani qui reliqui facti ſunt cũ ſuperioribus adducti,poſtquam pręfectus illis iniuriã inſignẽ qua totam gentem Gallicã immerito affeciſſent exprobraſſet, omnes ſuſpẽſi ſunt è ramis earũdem arborũ,è quibus Galli prius ſuſpenſi ab iis fuerant; quorũ vnus qui quinq; Gallos ſtrangulauerat culpã agnoſcens,iuſtum Dei iudicium ſibi meritas pœnas irrogantis confitebatur.Sed loco tituli quem Petrus Melẽdez iis impoſuerat, his verbis Hiſpanice ſcriptis, (Hoc non facio tamquam Gallis, ſed tamquã Lutheranis,) Gourgueſius tabulæ abietinæ ferro candenti inſcribi iuſſit, (Hoc non facio tamquã Hiſpanis vel nautis, ſed tamquam proditoribus, homicidis & latronibus.) Poſtea cũ videret ſibi nimis paucos homines ſupereſſe ad arces illas præſidio muniendas metuẽs etiam ne vel Hiſpani qui proximas terras obtinebant, eas rurſus occuparent,vel Barbari aduerſus Gallos, ſi quos Rex eo mittere vellet iis ſeſe munirent,eas ſubvertere decreuit.Proinde cum reges omnes congregaſſet,iisq; illud perſuaſiſſet,ſtatim iuſſu eorum ſubditi vndique tanto cum animi ardore accurrerunt, vt vno die tres illæ arces funditus euerſæ & ſolo adæquatæ ſint. Quibus peractis, Gourgueſius cum ad naues redire vellet quas in flumine Sequana, Tacatacourou dicto, quindecim leucis illinc diſtante reliquerat, Caſenouum & tormenta bellica mari præmittit,ipſe cum octoginta pyxidariis armatis & quadraginta nautis haſtatis,quod parum fideret Barbaris,per terram ſemper acie ordinata incedit, viasque Barbaris plenas inuenit qui eum muneribus & laudibus onerabant, tamquam regionum omnium vicinarum liberatorem: Inter quos anus quædam dicebat ſibi non amplius mori fore moleſtum, quandoquidem Hiſpanis pulſis adhuc ſemel Gallos in Florida conſpexiſſet. Denique cum ad naves veniſſet, easque inſtructas, & ad nauigationem paratas inueniſſet,Reges hortatur vt in amicitia & fœdere quod cum Rege Galliæ qui eos aduerſus omnes gentes defenſurus eſſet contraxerant, perſeuerent. Quod omnes illi polliciti ſunt, lachrymas ob eius diſceſſum large profundentes,ac præſertim Olotocara. Quos vt ſolaretur, promiſit ipſis ſe intra 12. Lunas (ſic enim menſes numerant) rediturum, ac Regem ſuum ipſis exercitum, & cultros & multa alia munera reſque neceſſarias miſſurum.Itaq; iis dimiſſis, ſuis autem congregatis,& gratiis actis Deo de præteritis, precibuſq; factis pro reditu proſpero, tertio die Maii *1566*, omnia parata fuere: locus vbi omnes præſto eſſent aſſignatus, anchoræq; ſublatæ ad nauigandum tam opportune, vt intra ſeptemdecim dies vndecies centum leucas confecerint: vnde continuãtes tandem Rupellam appulerũt ſexto die Iunii,qui erat triceſimus quartus ab eorum diſceſſu à flumine Maii: ſine vlla alia iactura quam vnius nauigii & octo hominum qui intus erant, cum quibuſdam nobilibus & aliis qui in oppugnationibus ca-

bus caſtrorum occubuerant. Poſtquam autem à Rupellenſibus læte & laute exceptus fuiſſet, tandem Burdegalam nauigat, & inde equis celeribus ad D. Monlucium contendit, quo eum de ſuperioribus omnibus certiorem faceret. Interea nũciatur illi Hiſpanos certiores factos de rebus Floridẽſibus, ac ſcientes eum Rupellæ eſſe, cum 18 nauigiis quæ *Pataches* dicuntur & vna nave *Roberge* dicta ducentorum doliorum capace, uſq; ad locum qui *Che-de baye* dicitur perueniſſe eodem die quo inde ille profectus erat, ac Blayam vſq; eum perſecutos eſſe, vt ab ipſo nauigationis eius rationem, aliam ab ea qua multos Gallos exhilaraverat, expoſcerent. Sed id fruſtra. Iam enim Burdegalam pervenerat. Ab eo tempore Rex Catholicus certior factus Gourgueſium non potuiſſe capi, ingentem pecuniæ ſummam decernit illi, qui caput eius adferret: præterea Regem Carolum orat vt de tam cruenti facinoris authore ac fœderis inter ſe initi violatore ſupplicium ſumat. Quare cum Lutetiam veniſſet vt ſe Regi offerret, ac eum edoceret non tantum nauigationis ſuæ proſperum ſucceſſum, ſed & rationes quibus facile poſſet omnes illas regiones eius imperio ſubiicere, ad quam rem ſe vitam ſuam omnesque ſuas facultates libenter impenſurum proteſtabatur: tam varie exceptus eſt, vt tandem occultare ſe diu coactus ſit in curia Rothomagenſi, anno circiter 1570. ac niſi illi à Præſide Marignyo, in cuius ædibus aliquãdiu manſit, & Quæſtore de Vacquieulx qui ſemper illi verus & fidus amicus fuit ſubuentum foret, in magno diſcrimine verſabatur. Quod Dominicus ille Gourgueſius animo reputãs quam bene meritus eſſet de hoc rege Galliæ & aliis qui eum proxime præceſſerant, quamq; indignam mercedem referret, grauiſſime tulit. Natus erat ille monte Marſano in Aquitania, ac Regibus Chriſtianiſſimis in omnibus expeditionib. quæ abhinc 25 aut 30 annis factæ fuerant inſeruierat: tandem ad Ducis militum munus & dignitatem euectus, impetũ vnius partis exercitus Hiſpani cum 30 militibus ſuſtinuit quodam in loco iuxta Sienam: quo vi capto, ac reliquis interfectis, ipſe in teſtimonium rari fauoris Hiſpanici, triremi imponitur: quæ cum in Siciliam nauigaret, à Turcis capitur, & Rhodum, ac inde Conſtantinopolim ducitur, paucis poſt diebus à Romeguaſio exercitus Maltenſis duce rurſus capitur. Hac ratione ille domũ reuertitur, nauigationem in Africam inſtituit, inde in Breſiliam, & mare quod *del Su* dicitur, ſe conuertit. Dein cupidus Gallici nominis vindicandi, in Floridam contẽdit eo cũ ſucceſſu quẽ vidimus. Ita vt continuis facinoribus bellicis tũ terreſtribus tum maritimis factus non minus intrepidus Dux quam nauta peritus, Hiſpanis formidabilis euaſerit, Reginæ vero Angliæ ob virtutum ſuarum meritũ expetendus. Deniq; anno 1582 à Domino Anthonio eligitur ad ducendã cum dignitate Thalaſſiarchæ claſſem, quam conſtituerat mittere adverſus Regẽ Hiſpaniæ, qui anno ſuperiore Portugalliam occupauerat tamquam propinquior atq; aptior ad ſuccedendum D. Sebaſtiano, regi vltimo qui in pugna aduerſus Regẽ Fegium in Barbaria occubuerat. Sed Lutetia Turonas profectus ad certi aliquid de negocio conſtituendum, morbo corripitur, ac tandem magno cum dolore omnium quibus erat notus moritur.

FINIS.

INDEX RERVM PRÆCIPVE MEMORABILIVM IN HAC Hiſtoria Contentarvm.

A

Adelano regulus 15.
Admiralius Caſtilioneus 6.
Aduſta rex 18.
America quarta orbis pars 1.
à quo dicta 1.
eius diuiſio 1.2.
Americus Veſpucius Florentinus 1.
Antillæ inſulæ 2.
Apalatcy Floridæ montes 15.19.
Arlacius Laudonnieri Signifer 13.
Aſtatlan provincia 2.

B

Bahama inſula 2.
Biminia inſula Parerg. 1.b.2.b.
Boriguena inſula Parerg. 1.a.2.b.
Braſilia 1.

C

Cailius primipili centurio Laudonnieri 11.13.20
eius oratio ad Laudonnierum 11.
Calos rex 16.17.
Canada provincia 2.
Cannaveral 17.
Carolina arx 9.
ab Hiſpanis occupatur 25.
Carolus IX. Gall. Rex 6.
Caſſina, è cuius foliis potio 18.
Cevola provincia 2.
Chriſtophorus Colonus 1.
Chilili 19.
Choya 19.
Cuba inſula 2.

D

Didacus Columbus parerg. 1.a.
D. Georgii manica 27.
D. Ioan. de portu diuite inſula parerg. 1.a.2.b.

E

Edelano inſula 19.
Enecaque 19.
Ferdinandus Rex Parerg. 2.a.b.
Ferdinandus Sottus Parerg. 3.a.
Floridæ deſcriptio 1.
fertilitas 2.3.
inventio Parerg. 1.a.b.
ſitus Parerg. 1.b.

F

Francia antarctica 2.
Francia nova 1.2.7.
Franciſcus I. Gall. Rex 2.

G

Gallorum in Florida crudelis cædes 25. 29.
Gamas ſinus 2.
Gratianus portus 6.
Grotaut 15.19.

H

Hable de grace 6.
Hauana portus 18.19.30.
Havvquins naucleri Angli humanitas 21.
Henricus VII. Angl. Rex Parerg. 1.b.2.a.b.

Hionaçara

INDEX

Hionacara regis vidua 18.
Hiſpaniola inſula 2.
I
Iacobus Carterius 2.
Ioannes Pontius parerg. 1. a. b. 2. b. 3. a.
Ioannes Verrazanus 2.
Iſabella Caſtellæ Regina parerg. 2. a. b.
Iſabella inſula 2.
Iuventutis fons fabuloſus parerg. 1. b.
L
Laudonnierus claſſis Gallicæ præfectus 2.
in eum coniuratio 12.
in vincula coniicitur 13.
in eum coniurantes Cubam deprædantur.
in eum coniurantium capita ſupplicio afficiuntur 21
cum quibusdam è manu Hiſpanorum elabitur 25.
Lucaya inſula 2.
Ludouicus Cancellus parerg. 3. b.
M
Maius fl. 7. 9.
Marracon regulus 16.
Martyres ſcopuli formidabiles 16.
Mathiaca regulus 16. 19.
Mexicanus ſinus 2.
N
Norumbega prouincia 2.
O
Oathkaqua regulus 17.
Onachaquara regulus 16.
Onatheaqua regulus 12.
Ottignius Laudonnieri legatus 8. 13.
Ouſtaca regulus 12. 19
Outina regulus 12. 14. 17.
P
Patchica regulus 19.
Peru prouincia 2.
Petrus Gambie 14.
Potanou regulus 12.
Q
Quiuira provincia 2.
R
Ribaldus claſſis præfectus 7. 8. 22.
eius claſſis ad ſcopulos alliditur 24.
Robervallus 2.
Rocheferrierius 12. 14. 15.
S
Sarrope lacus 17.
Saturioua regulus 7. 9. 17.
Sebaſtianus Gabotus Venetus parerg. 2. a. b.
T
Terra Papagalli 1.
Tetlichichimichi prouincia 2.
Themiſtitan 2.
Timogua 14.
Typhones venti 23.
Villagagnonus 2.

PARERGON.

DE AVTORE ET OCCASIONE HVIVS HISTORIÆ.

IACOBVS l'Moyne, aliâs MORGENSIS, natione Gallus, pictor egregius, qui in Hiſtoriæ contextu nomine Iacobi Morgueſii citatur, vnus ex XV. illis, qui cum Laudonniero ex cæde euaſerant, ſpectator & totius actus pars, rem actam Regi Galliarum redux ipſe expoſuit ordine; ab quo vt in tabulas referret admonitus, eam in ſuæ linguæ idiomate optima fide proſecutus eſt: ſed priuatim ſibi ſuisque aſſeruans, hactenus eam in publicum prodire noluit.

Verum paucis ab hinc annis cum LONDINI in ANGLIA verſaretur honeſtus vir THEODORICVS de BRY Leodienſis & ciuis apud FRANCFORTENSES, cum Morgueſio illo non vulgarem familiaritatem contraxit, & ſimul de rebus plurimis ad Hiſtoriam hanc pertinentibus inſtructus eſt, adeo vt de ea publicanda inter ipſos conueniretur.

Morgenſe interim è viuis ſublato, ab eius vidua precio eam redemptam ſibi mancipauit THEODORICVS prædictus, Anno 1587.

His ita ſe habentibus, omnibus notum eſſe cupimus, nos Hiſtoriam hanc noſtram plane nouam, in lucem proferre, neque ex rumore aliquo, aut quouis fundamento futili, hinc inde eam compilaſſe, ſed omnino noſtri autoris textum ſancte & religioſe, obſeruando exemplar Gallice ab autore ipſo exaratum, Latino ſimul & Germanico ſermone in publicæ vtilitatis gratiam ad verbum expreſſiſſe.

Adumbrationes autem & rerum geſtarum effigies atque imagines ad viuum expreſſas, per autorem ipſum horum omnium ſpectatorem conſignatas, & vbiuis cum mente textus congruentes affabre & artificioſe in ære effinximus, & in gratiam ingenioſorum, ut res non narrari tantum, ſed & geri coram luculenter videatur, publice propoſuimus.

Qua in re ſi quid opera atque induſtria aut ſumptibus etiam præſtitum eſt, boni hoc atque æqui conſulentes, viciſſim honeſtum & ingenioſum virum THEODORVM de BRY Leodienſem, & ciuem apud inclytam FRANCFORTENSIVM ad Mœnum rempubl. cuius tum ipſius tum eiuſdem etiam liberorum in idem artificium aſſidue & excellenter incumbentiū ope atque opera, quidquid id eſt omne conſtat, amore & beneuolentia veſtra proſequamini, & eum ſtudio ac fauore veſtro dignum, ad maioraque excitandum omnino exiſtimetis.

PARER-

PARERGON CONTINENS QVÆDAM, QVÆ AD PRÆCEDENTIS NARRATIONIS ELVCIDATIONEM, NON ERVNT FORSAN INVTILIA.

Superiore narratione ſatis explicatum eſſe arbitror, quid Gallis (repetitis aliquot in FLORIDAM prouinciam nauigationibus) acciderit, vt videlicet altera fuerit illis admodum funeſta.

Exiſtimaui autem non ab re fore, ſi de illius Prouinciæ prima obſeruatione nonnulla ad calcem adderemus: varia enim eſt de illis qui primum illam aperuerint opinio.

De Inuentione FLORIDÆ.

NON procul ab HISPANIOLA Inſula in ea mundi parte, quæ à recentioribus nouæ Indiæ titulo celebratur, ſita eſt & alia BORIQVENA dicta. Hæc, mutato nomine, noſtra ætate ab Hiſpanis vocatur Inſula D. IOANNIS de Portu diuite.

Eam IOANNES PONTIVS Legionenſis primus omnium perhibetur inueniſſe, & in ea Præfecturam obtinuiſſe. Sed cum hanc ſedem ſibi non ſatis tutam ſtabilitamve exiſtimaret, propter DIDACVM, magni iſtius & celebratiſſimi CHRISTOPHORI COLVMBI filium, Admiralium ſeu Claſſis Præfectum Generalem, & Gubernatorem Regium per nouas Inſulas (cuius potentiam ſuſpectam habens, metuebat ne ex inuidorum machinatione per ipſum aliquando pelleretur ea inſula) tempori ſibi de hoſtibus euitandis, deq; nouis ſedibus inueſtigandis conſulere voluit.

Anno igitur ſalutis 1512. priuato ſumptu inſtructis duobus celocibus commeatu & militibus, vela in altum dedit, & tamdiu continentis littus ad Septemtrionem ſecutus eſt, donec Inſulam BIMINIAM offenderet, quæ verſus polum Antarcticum, non vſq; adeo à feraciſſima illa & ampliſſime inſula CVBA eſt poſita. Anno 1512.

PARERGON.

Fons Iuuentutis.

Circa hæc ipſa tempora conſtans rumor ſpargebatur de ſcaturigine ſeu fonte aquæ cuiuſdam medicamentoſæ, cuius tanta eſſet virtus & naturæ vis, vt ſi quis eam potaret, quantumuis decrepitus, & plane iam canis obſitus, vi & efficacia eius adeo iuueneſceret, vt adoleſcentis viginti annorum florem & vigorem referre videretur.

Huius famæ celebratione PONTIVS *illectus, multum diuq; circa hanc inſulam vagabundus, inueſtigationi mirandæ huius, ſed fabuloſæ interim ſcaturiginis, cuius tãtæ virtutes prædicabantur, miro ardore indulſit, vireſque plus detriuit indies, quam eas reparârit: nam vltra ſemeſtre varia circumuectus maria, varias moleſtias errando pertulit.*

Toto itaq; iactatus pelago, & ſpes tantas fruſtra proſequens, tandem primus ipſe delatus eſt in nouas, & antehac plane incognitas Indiæ Occidentalis oras mediterraneas, ex parte continenti iunctas.

De nomine Regionis FLORIDÆ.

Ingreſſus itaque Regionem hanc PONTIVS, *eam nomine* FLORIDÆ *inſigniit, quod caſu in ipſo* PALMARVM *feſto, quæ feſtiuitas Hiſpanorum conſuetudine* PASCHA FLORIDVM *dicitur, huc appuliſſet, primusque eam obſeruaſſet.*

De ſitu ſeu poſitu Regionis FLORIDÆ.

Huius Regionis pars prominens ſeu anterior non diſſimilis eſt manicæ, cuius cuſpis longo tractu in mare excurrit.

Longitudo eius circiter centum, latitudo verò quinquaginta miliaria Gallica, ſeu leucas patet. Extremum promontorium viginti quinque gradus ab æquinoctiali linea diſtat; dehinc paulatim ſeſe explicat & expandit verſus Thraciam ventum, ſiue æſtiualem Solis occaſum. Vndoſa ſunt circa eam cuſpidem ſeu promontorium loca plurimæque Inſulæ, Martyres nuncupatæ, quà Orientem ſpectat.

Corollarium de variatione autorum circa Inuentorem.

Autores de Inuentore eius variant. M. VRBANVS CALVETO *in ſpeciali tractatu ſuo Gallico, de Nouo orbe, quem collegit ex* BENZONII *Hiſtoria Italice ſcripta, originem inuentionis eius paulo antiquiorem facit, & eam ab Italis inuentoribus, ſub* REGIS *Britanniæ* HENRICI *VII. auſpicijs deducit; quanquam Hiſpani ſuæ genti fauentes, ſibi eam arrogent. Eius verba ſubijciam: Quantum ad inuentionem*

Hiſtor. general. lib. 2. cap. 1.

Floridæ (inquit) eius palmam Franciſcus Lopeſius de Gomara, Hiſtoricus Hiſpanus, ſuæ gentis hominibus aſſcribit, & Hiſpano cuidam Ioanni Pontio Legionenſi attribuit; & hoc quidem eius rei gratia, vt axioma quod indubitatum eſſe ſibi perſuadet (cum tamen ſit falſum) verum eſſe aſſerat; nempe omnes Indiæ Prouincias ab Hiſpanis inuentas eſſe, exceptis quas Chriſtophorus Columbus Genuenſis Italus obſeruarit.

Qui

Gallorum in Floridam.

Qui vero hanc F L O R I D E N S I V M *Regionem primus inueſtigarit,is certo in-
dicio doceri poteſt, fuiſſe nauclerum Venetum,qui eam Anno* 1496*.primus obſeruauit:* 1496.
*quam rem ſe ita habere Italus quidam nobili familia natus,Philoſophiæ inſuper, &
Mathematicarum ſcientiarum peritiſſimus conſtanter aſſeruit; qui ſe id ex ipſius
Naucleri inuentoris ore audiuiſſe affirmabat, & tum cum hæc affirmaret, multos ad-
huc ſuperſtites eius nauigationis comites, teſtes huius rei commonſtrabat:qui quidem
ſi vir hic nobilis falſum aſſeruiſſet, ipſum mendacij arguere potuiſſent.*

Hæc autem ſunt ipſius viri nobilis Philoſophi verba, quæ magnificis quibuſ- In commentario de Itineribus inuehendorum aromatũ cauſa ſuſceptis.
*dam Venetis ſenatoribus dixit, cum de ratione inuehendorum aromatum ageretur.
An ignoratis inquit(erat autem ſermo inſtitutus de inueſtiganda orientali India, quâ
Thracias ventus flat)quid egerit ciuis quidam veſter,vir rei Nauticæ & Coſmogra-
phiæ adeo peritus,vt hodie in tota Hiſpania ſibi parem non habeat; eum autem peritia
& induſtria in tantum euexit, vt* R E X *Hiſpaniæ ipſum præfecerit omnibus naucleris
in Occidentalem Indiam nauigationem inſtituentibus, à cuius etiam autoritate res
nautica ita pendet, vt nemini, niſi ipſius permiſſu vel eo nauigare vel rem nauticam
exercere liceat.Vnde nomen Supremi Naucleri tulit. Hic eſt Dominus ille Sebaſtia-
nus Gabotus, quem ante aliquot annos inuiſi, cum eſſem Hiſpali;ipſumque deprehen-
di prudentem admodum & perhumanum. Nam honorificentiſſime me excipiens,plu-
rima ſingularia mihi commonſtrauit; inter alia vero egregiam & artificioſiſsimam
quandam tabulam Coſmographicam, in qua delineatæ erant omnes peculiares naui-
gationes Luſitanorum & Hiſpanorum.*

*Edocuit etiam me,qua occaſione ad harum rerum cognitionem, & peritiam tam
perfectam euectus eſſet,vt videlicet pater eius Venetiis in Angliam negociationis er-
gò nauigarit, & Londinum vſque peruenerit,ſe admodum iuuene aſſumpto, non ta-
men adeò ignaro, quin iam humaniores artes & fundamenta Sphærica aſſecutus fue-
rit; patrem autem circa id tempus iſtic extremum diem obijſſe, quo fama celeberrima
percrebuerat, Magnum illum Chriſtophorum Columbum magnanima indagatione
ſua aperuiſſe oras Indicas; & hæc fama adeo per Angliam, & in ipſa Regis Henrici* Henricus VII. Angliæ Rex.
*ſeptimi,qui tum rerum potiebatur,aula inclaruerat,vt non humana induſtria,ſed pla-
ne numine quodam factum crederent,vt iter per occaſum in ortum patere obſeruatum
eſſet.*

*Huius igitur famæ gloria adeo inflammatus fui, vt ipſe aliquod opus ſingulare
& immortale animo conciperem: cum igitur adiuto mathematum cognitione, ſphæ-
rica ratione mihi perſpectum eſſet,nauigatione ad Thraciam ventum, qui medius eſt
inter occaſum & ſeptentrionem, compendium itineris facturum ad Orientales In-
dias; Regiam Maieſtatem de hoc propoſito meo certiorem facere conſtitui. Rex
Henricus ſeptimus inſtitutum meum ſummopere probauit, & naues duas ſuis ſumpti-
bus inſtructas mihi præbuit.*

Anno igitur 1496. in principio veris ex Anglia ſolui,iter inter occaſum & 1496.
*ſeptemtrionem dirigens. Nec animus erat ad vllam regionem appellere,priuſquam ad
Cataij oram maritimam perueniſſem;hinc ad Indiam deſcendere proponebam. Sed
elapſis aliquot diebus me à ſcopo aberraſſe animaduerti,& ad terram delatum,quæ ad
Septemtrionem tendebat;vix dici poteſt quam animo tum conſternato fuerim:Nihilo-*

minus propoſitum meum inſtanter vrgens, & oras legens Septemtrionem verſus, ipſum mihi ſcopum ſtatuebam, ſperans ſinum aliquem me reperturum, qui ſe inter occaſum & Septemtrionem conuerteret, donec ad poli noſtri antarctici 56. graduum altitudinem peruenirem.

Huc euectus obſeruaui littus declinare verſus ortum: itaque omnem ſpem abijciens me iſtic fretum aliquod aut tranſitum reperturum, remenſus ſum iter confectum, vt littus ad æquatorem tendens diligentius obſeruarem, ſemper ſperans fretum aliquod inuentum iri, per quod in Indiam penetrarem: atque tamdiu illud ſecutus ſum, donec ad terram, quæ hodie noſtris Florida dicitur, deferrer. huc profectus ſubſtiti, nec vlterius tetendi, quia commeatus deficiebat, & inde in Angliam redij.

Hic igitur Gabotus fuit, qui Regis Angliæ auſpicijs primus FLORIDAM *obſeruauit, eaque ratione plus iuris in eam habent Angli, quam Hiſpani, ſi ad acquirendam Prouinciæ alicuius iuriſdictionem ſufficit primum omnium illam conſpexiſſe. Porro hæc Gaboti profectio tantam illi laudem conciliauit, vt in Angliam rediens, eamque ſeditionibus & bellis ciuilibus turbatam reperiens, in Hiſpaniam conceſſerit, vbi à Catholicis Regibus Ferdinando & Iſabella, humaniſſime exceptus fuit, traditisq; illi nauibus ad Braſiliæ regionis oram maritimam luſtrandam miſſus, cum claſſe eo profectus eam perluſtrare non deſtitit, donec ad ingentem illum fluuium vulgo de* PLATA, *hoc eſt, argenteum cognominatum perueniret, quem aduerſum ad ſexcentas leucas ſubijt, exiſtimans fretum quodpiam eſſe, aut meatum marinum, qui ab altera continentis parte ſe in mare exoneraret, & illi iter præberet in Orientalem Indiam.*

Proximus poſt Gabotum, qui ad Floridam prouinciam peruenit (quantum quidem reſciri poteſt) fuit Ioannes Pontius Legionenſis, cuius ante facta mentio.

Pars altera, quomodo adminiſtrata fuerit Florida.

Pontius igitur ea Prouincia duntaxat ſalutata & exoſculata, in Inſulam D. Ioannis de portu diuite reuertitur, ea ſpe vt claſſe iſthic parata ad occupandam FLORIDAM *proficiſceretur. magnas enim opes ſe in ea Prouincia reperturum putabat, & florentem ſtatum ſtabiliturum: itaq; magnis impenſis in paranda Claſſe factis, Hiſpanias petijt, ad obtinendam à Rege Prouinciæ illius occupationem, & occupatæ adminiſtrationem. Eò cum perueniſſet Regiam Maieſtatem de maximis à ſe laboribus & diuturnis periculis in impetuoſo mari exantlatis edocet, ab eademque vt pro tot tantisque exhauſtis laboribus gubernatione & Præfectura, tùm Inſulæ Biminiæ, tum Regionis* FLORIDÆ *donaretur anxiè contendit. Sed ægrè id obtinuit & interceſſione magis amicorum, quàm ex proprio merito & officiis à ſe fideliſsime præſtitis voti petitioniſq; compos factus eſt. Poſtquam iam Prouinciam hanc à Regia Maieſtate obtinuiſſet, iter in Boriquenam Inſulam, aliâs S. Ioannis de portu diuite remittitur, & magnis impenſis milites conſcribens claſſem inſtruit, proponens animo ſuo per totam Biminiam Inſulam & Regionem Floridenſium nouas deducere colonias. Sed vbi littus* FLORIDENSE *vix contigiſſet, & ſocios, arma, commeatum, ac naualia expoſuiſſet, iamque in loco opportuniore oppidum & arcem condere moliretur; barbarorum turba, attonita horum barbatorum hominum & peregrinorum nauigorum con-*

ſpectu,

ſpectu, telis ſuis venenatis inopinato ipſos opprimunt, tantoque impetu in ipſos ea torquent, vt magna ſociorum parte cæſa, reliqui turpi fuga ſibi conſulerent, & nauibus conſcenſis abirent.

Infelix aduentus Pontij in FLORIDAM.

Pontius ipſe in hoc tumultu iaculo infecto lethaliter vulneratus, vnus è fugientibus fuit, & vento Cubam Inſulam delatus ex vulnere iſtic expirauit. Sed nec ſolus Pontius vita exutus occidit, ſiquidem multi Hiſpanorum, quos huius expeditionis ſocios aduexerat ex telorum veneno grauiter ſauciati partim ocyus, partim ſerius grauiſſimis & intolerabilibus cruciatibus prius excarnificati, animas efflarunt. Nec enim vlla medicina huius veneni inflammationi reſtinguendæ ſufficiens excogitari poterat, ita factum eſt vt tunc temporis, intacta & inculta relinqueretur: inuentori ſuo exitioſa quidem, ſed ipſa ex cæde ipſius nobilitate exiſtens.

Ferdinandus Sottus FLORIDAM inuadit, Anno 1534.

Multo tempore deinceps propter Incolarum ferociam & fortitudinem intacta fuit, nec quiſquam cũ barbaris tam pugnacibus congredi auſus fuit, donec multis annis poſt, Ferdinandus Sottus generalis Præfectus militum Hiſpanorum (qui ex præda à Rege Peruano Attabalibe capta, magnis diuitiis auctus erat) animo iam ad maiora inflammato ab Imperatore Romano obtinuiſſet, vt expeditionem in Prouinciam hanc ſuſciperet, & deuictæ dominaretur. Is circiter annum triceſimum quartum ſupra milleſimum & quingenteſimum, quingentorum militum, inter quos multi veterani, copijs inſtructus, vento ſecundo in eas oras delatus eſt: ſed nihil aliud ſomnians, quam auri fodinas, hac illac vagari cœpit: fodinas iſtas requirens, nulla interim ſollicitudine ductus, vrbem aliquam condendi, aut coloniam traducendi; verùm non reperiens eas opes, quas iam animo deuorarat, milites in mediterranea abducens, excurſionibus & impreſſionibus ſubinde factis miſerè incolas diuexabat, & animum ad auri & gemmarum theſauros plane conuertens, paſſim earum fodinas perſcrutabatur. Siquidem perſuaſerat ſibi hanc Regno Peruano fertilitate auri & fodinorum vbertate non fore inferiorem.

Hinc aureos ſibi montes pollicens, & immenſas animo ſuo diuitias concipiens, non tantum de Imperatoriæ Maieſtatis fauore & gratia (ob reditus quos annuos Cameræ Cæſareæ penderet) intime obtinenda: ſed de nominis & famæ etiam apud poſteritatem immortalitate conſequenda, magnam animo ſuo ſpem fidemque fecerat.

Ferdinandus Sottus ſpe ſua deijcitur.

Poſtquam vero integrum quinquennium incolas in fodinis habuiſſet ærumnoſiſſimos, neque quicquam commodi vel lucri inde ad ſe rediret, operamque & oleum, quod dicittur, perdidiſſet, non tantum ſocios ſpe inani lactatos fiducia deiecit, ſed & ipſe ob auaritiæ morbum, & conſiliorum confuſionem langueſcens contabuit:

Videns enim ſe tanta ſpe & molimine cecidiſſe, impenſis fruſtratum, & ſibi cum dedecore ab incepto deſiſtendum, æger ipſe animo, ſeque excrucians ex mœrore tandem conſumptus vitam finijt. Socij eius plerique omnes à barbaris attriti, & è medio ſublati perierunt.

Hiſpani ſollicitatores repulſam tulerunt.

Exitiale hoc Ferdinandi Sotti fatum, nihilo plus aliorum animos abſterruit, quo minus & ipſi fortunam ſuam in barbaris hiſce experirentur, & ſpe aureorum montium hoc profectionis tædium alleuarent.

1544. *Anno 1544. multi extiterunt, qui hanc Regionem domitam Hiſpanorum imperio adijcere ſibi pollicerentur; Inter hos maxime claruit Julianus Samanus & Petrus Ahumada, qui de occupanda & adminiſtranda ea Maieſtatem Regiam ſollicitarent.*

Sed nec Carolus V. Imperator, qui ea tempeſtate in Germania belligerabatur, nec Philippus huius filius, qui Hiſpanias abſente patre imperio regebat, conſentiente etiam his Camera ſeu Conſiſtorio Indiano, cuiquam plenariam poteſtatem huius regni debellandi, aut nauigãdo exquirendi cõmiſerunt: quippe ſubolebat ipſis, & vel indicibus, vel coniectura conſequi poterant, Sottum cum socijs ſuis libertate & poteſtate inſolenter abuſos, & ex nimio habendi ardore miſeris incolis in fodinas metallicas detruſis, tàm crudeles tamque intolerabiles extitiſſe; quæ res conſpirationi occaſionem præbuerit, vt Sottus cum ſocijs funditus exſtirparetur, conducibiliusque eſſe duxerunt, Monachos eò mitti, qui concionibus hos feroces homines ad Chriſtianam religionem amplectendam pellicerent, quàm milites, qui vi cogerent.

Dominicani precibus & ſuauiloquentia Barbarorum animos aucupari tentant.

Huc accedebat, quod Monachi quidam ex Occidentali India recens reuerſi, publice per Hiſpaniam concionarentur, magnam iniuriam miſeris illis fieri, dum milites eò ablegantur, qui ipſos ad ſeruitia pertrahunt, ipſos deprædarentur, atq; occiderent, cum ad veram DEI *cognitionem adduci poſſent, ſi qui ipſorum lingua vernacula ipſis concionarentur. Ea de cauſa Monachi delecti, qui in* FLORIDAM *aliasq; prouincias mitterentur, ad Barbaros & feroces iſtos blandimẽtis potius, & verborum lenocinio demulcendos alliciendoſq;, quàm armorum truculentia, & ſuppliciorum rigore prouocandos, aut in furorem agitandos eſſe; cum inſuper vltrò fidem facerent, ſe autoribus hoc negocium ita confieri poſſe, neq; ſe ſolum precibus & ſuauiloquentia, hos Chriſtianæ fidei atque religioni, ſed etiam Romanæ Cæſareæ Maieſtatis imperio lucrifacturos; Huic Monachorum orationi, Imperator & Conſiſtorij Indici aſſeſſores facile perſuaſi aſſenſerunt, & probantes conſilium tàm ſalutare, hanc prouinciam ipſis commiſerunt.*

1549. *Anno itaque 1549. Frater Ludouicus Cancellus de Baluaſtre Ordinis Sancti Dominici, adiunctis ſibi quatuor ex eodem ordine itineris ſui comitibus & negociorum ſocijs, peregrinationem hanc ſumptibus Cæſareæ Maieſtatis publicis ingreditur.*

Vbi

PARERGON.

Vbi iam fauſto alite perfeciſſet iter, placidè ad littus adremigant, & loco ouationis, & moris à nauarchis recepti (quo tormentis bellicis magno fragore boantibus inſuetis, & hominibus feris terrorem incutiunt) noſtri hi religioſi, nil præter cruces rubentes in pacis ſignum manibus præferunt.

Frater Ludouicus ſocijs & nautis quibuſdam comitatus, terræ ſeſe exponit inermem nulloq; telorum præſidio munitum, vt qui pacis Euangelium denunciare, nec armorum vim, aut gladiorum aciem precibus ſuis obtendere præſumat.

Monachi à Barbaris diſcerpti.

Exorditur Euangelij prædicationem Ludouicus, ſperans barbarorum animos conſolatione Euangelica mitigari poſſe: quod quidem non abs re fuiſſet, niſi animi eorũ diuturnis vexationibus adeo exaſperati fuiſſent, vt plane intractabiles redditi fuerint (ſunt enim huius Regionis Incolæ reliquis barbaris paulo manſuetiores, nec vt reliqui, humana carne veſcuntur.) Ergo vt primum in conſpectum venerunt, illi accelerantes confertim accurrere, & gregatim eos circumfluere, non quidem vt Euangelicæ prædicationi auſcultarent, ſed vt fuſtibus tanquam inſanos eos mulctarent, & proſtratos perderent. Ludouicus quantum oratione, quantumq; verborum ſuauitate atq; eloquentia valebat, animos eorum demulcere; illi tanquam ſurdo fabula caneretur, obturatis auribus contra tendere, irruere, vociferari. Hic ergo inani verborum ſtrepitu auras ventoſq; laceſſens à tumultuantibus vrgeri, obrui, & vna cum duobus ex ſocijs in conſpectu reliquorum miſere diſcerpi, vitaque breui momento priuari.

Reliqui conterriti hoc ſpectaculo, & tam tragico ſuorum exitu, fuga ſibi ocyus proſpiciunt, ſatius exiſtimantes inter ordinis ſui confratres pietatis laude conſeneſcere, quam apud hos tam inhumanos, & moribus plane ruſticis præditos, corona martyrij inſigniri, naues conſcendunt, vela ventis implent, & re infecta Hiſpanias repetunt.

Corollarium.

Quidam domeſticorum Ferdinandi Sotti, qui à morte Domini ſui in iſtis locis vitam degerat, & in Monachorum nauem fuga euaſerat, pro comperto retulit barbaros Ludouico comitibuſque occiſis cutem integram detraxiſſe, ſuorumq; idolorum in delubris ad æternam rei geſtæ memoriam ſuſpendiſſe.

Concluſio.

Hæc ergo ea eſt Regio Florida, de qua in noſtro præcedente fuſius actum eſt Compendio: quæ olim ob clades Hiſpanis illatas inter reliquas Indiæ prouincias claruit; noſtra vero ætate ob Gallorum in ea fatum lamentabile, & cum ſumma iniuria eiectionem per Hiſpanos factam, longe clarior euaſit, multoque nobilior.

08913

J590
=B915V
GYL2.2

J
De Bry
GV
pt 2
1609
Lat


GAUDEO